DE

LAURENTIO DE PRIMOFATO

(Laurent de Premierfait)

QUI PRIMUS JOANNIS BOCCACII OPERA QUAEDAM GALLICE TRANSTULIT INEUNTE SECULO XV

THESIM

LITTERARUM FACULTATI IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROPONEBAT

Henri HAUVETTE

Universitatis Parisiensis olim alumnus
Italicarum litterarum disciplinae praepositus
in Universitate Gratianopolitana.

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

79, Via dicta Boulevard Saint-Germain, 79

MCMIII

DE

LAURENTIO DE PRIMOFATO

(LAURENT DE PREMIERFAIT)

PROOEMIUM

Quando et quo modo apud majores nostros praecipua Italicorum scriptorum opera divulgari coepta sint, multis jam ab annis inquirere nobis in animo est; atque inter illos claros poetas qui quasi lumina seculi XIV exstiterunt, Joannes Boccacius praesertim in se studium nostrum convertit, utpote qui plurimum, seculis XV et XVI, Gallis probatus sit, exemplaque narratoribus nostris maximae auctoritatis praestiterit. Eo modo in Laurentium de Primofato devenimus, qui primus, ineunte seculo XV, duos Boccacii libros in gallicum sermonem convertit; de quo plures jam dixerunt, non tamen adeo plene et perfecte ut nihil jam addi posse videatur.

Ceterum Laurentius per se ipsum haud indignus est qui brevis cujusdam libelli argumentum praebeat; nam, regnante Carolo VI, cum Joannes de Monsterolio, Gontherus Colli aliique plures ad renovandum litterarum studium animum intenderent, et assidue antiquorum scriptorum opera evolverent, Laurentius et ipse socius fuit laboris cui optimus quisque, aetate illa, se accingere voluit. Propterea non inutile visum

est rara illa testimonia quae servantur de vita et scriptis Laurentii diligenter colligere atque attente perpendere.

Cum tamen apud aequales suos Laurentius de Primofato aliquam sui notionem ideo praesertim fecerit quod Boccacii opera gallice interpretatus sit, nos quoque, omissis M. Tullii et Aristotelis libris ab eo translatis, ad ea statim scripta veniemus quae nostrum ad argumentum pertinent, libros novem scilicet *De Casibus virorum illustrium,* et *Centum Novellas* quae vulgo inscribuntur *Decameron.*

Pauca denique addemus de Boccacii libro *De Claris Mulieribus,* quem a Laurentio quoque translatum — sed injuria, ut nobis videtur — quidam arbitrati sunt.

CAPUT PRIMUM

QUAE DE LAURENTII VITA ET SCRIPTIS TRADITA SINT.

Laurentius de Primofato inter hos scriptores numerandus est, quorum memoria omnino apud posteros evanuisset, nisi nomen ipsum superesset, primae libri cujusdam paginae inscriptum. Ceterum quae fuerit vita, quae indoles, qui mores, vix conjectura assequi possumus.

Ex cognomine suspicari licet illum a pago cui nomen hodie *Premierfait*, haud procul ab Artiaca (*Arcis-sur-Aube*), ortum esse; certe Campanum et Trecensis dioecesis clericum exstitisse compertum habemus [1]. Quando natus sit parum constat; annum vero mortis ejus nobis declaravit adnotator quidam, qui, cum Joannis de Monsterolio epistulas legeret, haec verba in margine inscripsit :

[1] « Champenois » aut « Clerc du diocèse de Troyes » in pluribus operum ejus subscriptionibus legitur.

Iste Laurentius cognomento de Primofato fuit poeta et orator eximius; decessitque Parisius anno Domini M°CCCCXVIII°; in cimiterioque sanctorum Innocentium ibidem extitit inhumatus[1].

Nihil aliud de Laurentio aequales tradiderunt, quod quidem ad originem praecipuosque vitae casus pertineat. Sed ex codicibus qui opera ab eo in gallicum sermonem translata exhibent, quaedam colligi possunt quae illius in litteris colendis studium et diligentiam clarius ostendant.

I

Prima, temporis ordinem respicienti, Laurentii de Primofato memoria occurrit in codice quodam, Boccacii libros *De Casibus virorum illustrium* gallice translatos continente, hodie Lutetiae Parisiorum, in bibliotheca Mazarinea servato, de quo infra longior erit sermo, his verbis quae nunc syllabatim referre operae pretium est :

... lequel livre de Bocace fut translaté de latin en franchois par Laurent, famillier et clerc de noble et saige homme Jehan Chanteprime, consillier du roy de France nostre sire, le samedi XIIIe jour de novembre de l'an mil IIII^c[2].

[1] Bib. Nat. lat. 13062, f. 20 ; vide etiam *Veterum scriptorum amplissimam collectionem* (edid. Martene et Durand), II, col. 1409, ubi edita est eadem adnotatio. Quid de adnotatoris auctoritate censendum vide apud A. Thomas, *De Joannis de Monsterolio vita et operibus* (1883), p. 96.

[2] Bib. Mazar. cod. 3880, fol. 133 ; cfr. Molinier, *Catal. des Mss. de la Bibl. Mazar.*, t. III, p. 214. Leroux de Lincy, doctissimi viri Pau-

Clarum et perspicuum testimonium inde expressum mox contra incredulum quemdam[1] contendemus dignum esse quod gravissimum habeatur. Nunc autem satis est hoc confirmare, Laurentium scilicet, paenultimo mense anni MCD, gallicae librorum *De Casibus* translationi finem imposuisse, et eumdem tunc temporis Joannis Chanteprime familiarem fuisse, qui apud Carolum VI, Francorum regem, consiliarii officio fungebatur. Joannes ille, nobili gente natus, ex qua magistratus et clerici multi orti sunt, non ignotus est : ab anno MCCCLXXVI sedebat in parlamento Parisiensi[2], obiitque decanus ecclesiae Parisiensis anno MCDXIV[3]. Bonarum artium cultorem exstitisse Joannem Chanteprime apparet, qui clericum pauperem, qualis videtur fuisse Laurentius, in domum suam receperit, auxiliumque praebuerit ut longum et arduum laborem feliciter ad finem perduceret.

Deinde, quinque intermissis annis, Laurentius translationem novam clariori patrono dicabat, avunculo scilicet ipsius regis, Ludovico II Borbonesii duci,

lini Paris testimonio fretus, asserit (*Paris et ses historiens aux XIVe et XVe siècles*, p. 415) Laurentium, semper Lutetiae commoratum, quadraginta annos consumpsisse (1380-1420) scribendo atque e latino in gallicum sermonem libros vertendo ; sed ex quo indicio rem ita se habuisse P. Paris conjecerit (*Les Mss. françois de la Bibl. du Roi*, I, p. 229), non liquet.

[1] A. Hortis, *Studi sulle opere latine del Boccaccio* (Trieste, 1879), p. 622, n. 2.

[2] F. Aubert, *Le Parlement de Paris de 1314 à 1422*, t. II, p. 338.

[3] *Gallia Christiana*, VII, col. 212 ; vide etiam F. Aubert, *op. cit.*, I, 63, 115-116 ; A. Franklin, *Les anciennes bibl. de Paris*, II, 229, et Douet d'Arcq, *Pièces inédites relatives au règne de Charles VI*, I, 296.

cujus ingenium, humanitatem et munificentiam crebris laudibus aequales extulerunt[1] :

Cy fine le livre de Tulle de Vieillesse, translaté de latin en françois du commandement de tres excellent, glorieux et noble prince Loys duc de Bourbon par moy Laurent de Premierfait, cinquiesme jour de novembre mil quatre cens et cinq[2].

In translationis prooemio ad ducem Ludovicum misso, Laurentius hunc principem, e regia stirpe oriundum, laudabat ob scientiae cupiditatem, ob studium philosophiae, immo ob titulum ipsum philosophi « principi maxime congruentem[3] », quo dignum se praestare gloriabatur.

Ludovicus « benigna mente et laeto animo » accepit opus « humilis clerici et libentis sui servi », adeo ut, paullo post, alium Ciceronis dialogum, *Laelium* scilicet, sive *De Amicitia,* Laurentio gallice transferendum commiserit. Ita enim rem se habuisse translator ipse monet, cum in prooemio hujus novi operis eumdem principem sic alloquitur :

Vous m'avez commandé que je me essayasse pour vous et pour chacun soy delectant en bonnes et approuvees doctrines de convertir en françois un autre livre de Tulle appellé de la vraye amistié[4].

[1] Vide *Hist. litt. de la France,* t. XXIV, pp. 201-202.
[2] Bib. Nat. cod. fr. 1020, f. 44. Eadem subscriptio legitur in codicibus fr. 1187 et lat. 7789 ejusdem bibliothecae, et in codice quodam Petroburgensi *(Catal. des mss. fr. de Saint-Pétersbourg,* p. 93).
[3] « Qui est un nom tres avenant a prince. »
[4] Bib. Nat. fr. 1020, fol. 44 verso.

Quonam tempore Laurentius de Primofato Ciceronis librum de Amicitia, suadente Ludovico Borbonesii duce, in gallicam linguam vertendum susceperit, et ad exitum rem perduxerit, aegre discernitur. Ex verbis quibus usus est Laurentius, dum in prooemio novi operis translationem libri *De Senectute* memorat, constare videtur illum, brevi spatio temporis interjecto, initium incepto dedisse [1]. Laurentius autem, ut mox exponemus, mense Aprili anni MCDIX, novam translationem Boccacii librorum *De Casibus* perfecit, deinde per quattuor annos (MCDXI-MCDXIV) ejusdem Boccacii libro, *Decameron* dicto, gallice transferendo operam tribuit; duos igitur M. Tullii libros sine ulla temporis intermissione translatos esse credimus, cum scilicet Campanus clericus Ludovico « libens serviret », et priusquam alii patrono obnoxius fieret [2]. Quod quidem in dubium venire vix posset, nisi codices aliquot, in quibus translationem de qua agitur invenimus, hanc subscriptionem exhiberent :

Cy fine le livre de Tulle d'Amistié, translaté de latin en françois par Laurent de Premierfait, le IXe jour de juillet, l'an mil CCCC et seze [3].

Ludovicus autem, Borbonesii dux, anno MCDX

[1] « Nagueres me commandastes de convertir en langaige de France le livre de vieillesse » *(loc. cit.)*.

[2] Sic censuit A. Hortis, cum Laurentii translationes temporis ordine numerare tentavit *(Studi,* p. 618, n. 1); sed codices de quibus mox mentionem faciemus Hortis non novit.

[3] Bib. Nat. fr. 1020, fol. 92 verso; eadem leguntur in cod. fr. 24283.

obiit ; ergo aliquid falsi seu his ultimis scripturae versibus, seu ipsi prooemio ad Ludovicum misso inesse jure suspicamur. Non tamen ita res dijudicanda est ut librario cuidam parum diligenti subscriptio nunc prolata attribuatur, et *six* pro *seze* legendum esse videatur; nam non in codice uno, verum in pluribus eumdem annum perspicue significatum invenimus [1] ; immo in exemplari quodam hujus translationis, prooemio tamen praeeunte ut in ceteris codicibus, Laurentius fertur hoc opus suscepisse,

.....a la monicion et requeste et en l'ostel de noble et saige homme Bureau de Dampmartin, escuier, citoien de Paris et tresorier de France, icelle translation acomplie IXe jour de juillet l'an 1416 [2].

Gravissima nobis videtur horum verborum auctoritas, non modo quia librarii indiligentiae adscribi non potest adjectum nomen nobilis et prudentis viri Bureau de Dampmartin, dum cetera cum aliis codicibus mire congruunt, verum etiam quia Laurentius revera hospes et « familiaris » illius Bureau fuit post annum MCDXI, ut mox dicemus. Utrum vero duce

[1] Vide adnotationem superiorem. In bibliotheca Vaticana, videre est exemplar quoddam *Laelii* in gallicam linguam a Laurentio translati (Reg. 918). Doctissimus vir C. V. Langlois *(Notices et extr. des mss.*, XXIII, Pars altera, p. 87) opinatus est translationem illam ante annum MCDX perfectam esse, haud nescius anni quo dux Borbonesii obierit ; sed ultima codicis folia desunt, nec quicquam ex subscriptione superest. In codice Parisiensi fr. 126 nec titulus nec subscriptio legitur.

[2] *Catal. des Mss. français de la Bibl. de Saint-Pétersbourg* (1874), p. 93, ubi legitur : « Le livre de Tulle d'Amitié (dédié au même prince) », scilicet Ludovico Borbonesii duci.

Borbonesii an Bureau,aerarii curatore, jubente, « humilis clericus » M. Tullii opus in gallicum sermonem vertere adortus sit investigare necesse ducimus.

Duobus modis rem interpretari possumus. Ludovicum Borbonesii ducem a Laurentio petiisse ut dialogum *De Amicitia* gallice transferret — quod perspicuis verbis in prooemio confirmatur — quis negare audeat ? Dubium autem est utrum clericus noster se protinus ad laborem accinxerit, et primo prooemium longum, in quo conferret Aristotelis et Ciceronis doctrinam de Amicitia, composuerit, deinde, translatione vix incepta, nescio quare, destiterit, et post decimum annum, novo Maecenate Bureau suadente, opus demum perfecerit —, an translationem, jam ad finem perductam circa annum MCDVII, post novem annos Laurentius, ejusdem Bureau consiliis obsequens, revisere et emendare voluerit. Utcunque se res habuit, prooemium integrum servatum est, sive quia in eo multa ex antiquis philosophis sumpta doctrina continebatur, sive quod ducis Borbonesii nomen aliquid auctoritatis libro addere videretur.

Quamvis nihil praesto sit quod dubitationem prorsus tollere valeat, pluribus tamen indiciis confisi existimamus gallicam *Laelii* translationem non uno eodemque tenore inceptam semel et confectam esse. Nam ut taceamus nomen Ludovici, quod initio prooemii in omnibus codicibus occurrit, semper in subscriptionibus abesse[1], duo « prologi » (ut Laurentii verbum usur-

[1] Subscriptio vero quae post librum *de Senectute* gallice translatum legitur nomen ducis Ludovici continet ; vide supra, p. 6.

pemus) ipsi translationi praeponuntur, quorum prior nihil aliud est nisi prooemium duci Borbonesii inscriptum, quo longa de amicitia commentatio continetur, alter vero, in quo nulla Ludovici incidit mentio, plures sententias in priore jam enunciatas refert, ita ut supervacuus videatur. Manifesto, inter prologum priorem et ipsum Ciceronis tractatum nihil primitus interjectum esse debebat[1]; unde fit ut ultro animo occurrat alterum prologum posterius a Laurentio scriptum esse, anno MCDXVI aut paullo ante, cum scilicet translationem, tum demum perfectam aut saltem emendatam, nobili viro Bureau de Dampmartin dedicaverit[2]. Priorem vero post annum MCDV, sed ante MCDIX, conscriptum esse certum habemus, ut constat ex his quae nunc enarrabimus.

Anno enim MCDIX, die XV mensis Aprilis, summam manum Laurentius novo operi imponebat, alteri

[1] In fine prologi prioris legimus : « J'ay mis au commencement de vostre volume et *apres cestuy prologue* le texte de tout le livre, tres correct et distinct et selon la forme et maniere par moy gardee ou livre de vieillesse »; quae verba, procul dubio, scripta sunt cum alterum prologum componere translator nondum in animo habebat.

[2] Alterum prologum scriptum esse ut praecederet translationem, qualis nunc in codicibus nostris invenitur, constat, cum his verbis finem habeat : « Et au commencement doit estre escript tel titre : Icy commence le prohesme ou livre de la vraye amistié faict par Tulle surnommé Cicero; et cestui prohesme se extend jusque au paragraphe *Gayus famius,* auquel paragraphe commence la proposition de Tulle et est continuee jusques au paragraphe *Sed quoniam amicitie,* ouquel paragraphe Tulle commance la matiere qui par raison et exemples est deduite jusques en la fin du livre » (Bib. Nat. fr. 1020, fol. 55 verso). Quae quidem divisiones in codicibus nostris diligenter observantur.

scilicet translationi librorum *De Casibus,* quae Joanni Biturigum duci, regis patruo, dedicabatur [1]. De hac nova translatione, vel potius prioris translationis emendatione et amplificatione, mox disseremus; nunc satis est dicere longum profecto laborem fuisse, in quo multos menses, immo plures annos Laurentius traduxerit. Solam curam diligenter exscribendi et ornandi exemplaris quod duci Joanni offerendum erat non minus quam viginti menses requisiisse scimus. In inventario enim librorum qui Joannis fuerunt, legimus codicem, in quo Boccacii opus iterum translatum continebatur, huic principi datum esse a Martino Gouge, Carnutum episcopo, die prima mensis Januarii, anno MCDX, id est MCDXI secundum recentiorem usum [2].

Quam personam, in hoc negotio, Martinus Gouge gesserit, inter translatorem et principem, callide conjectum est [3]: Joannis adulatores, non ignari quo studio, qua industria dux Biturigum libros raros, novos,

[1] In plerisque illius translationis codicibus, dies, mensis et annus indicantur, duobus tamen modis; nunc enim legimus: « et fut compilee *(alias* complie) ceste *(alias* la dicte) translacion le xve jour d'avril mil CCCCIX, c'est assavoir le lundi apres Pasques » (Bib. Nat. fr. 226, 227, etc....; Arsenal 5192, 5193), nunc autem: « et fut finee ceste *(alias* la dicte) translacion l'an mil CCCC et IX, le lundi apres Pasques closes » (Bib. Nat. fr. 131, 228, etc...; Arsenal 5191; Mazar. 3878).

[2] P. Paris, *Les Mss. françois de la Bibl. du Roi,* I, p. 246; L. Delisle, *Le Cabinet des Mss.,* I, p. 60, et III, p. 187; Hyver de Beauvoir, *La librairie de Jean duc de Berry au château de Mehun sur Yèvre,* p. 76. Doctissimo viro P. Paris codicem duci Joanni oblatum agnoscere visum erat in Bib. Nat. Parisiensi; cui non sine causa adversatus est L. Delisle (III, p. 187, n. 6).

[3] P. Paris, *op. cit.*, I, pp. 246 et seq.

aut ob quamlibet aliam laudem spectabiles consectaretur, et rati se magnam sibi gratiam comparaturos esse si principi opus quoddam pretiosum aut splendide ornatum offerrent, saepe sumptibus suis libros transcribi jubebant, quos illi gratos acceptosque fore cognoverant. Quod ad Boccacii opus attinet, quamvis Martinus Gouge Laurentio pecuniam suppeditaverit, eique, cum in translationem incumberet, victum forsitan praebuerit, conjectura probabile est ab ipso Joanne significatum esse desiderium legendi libros *De Casibus* in gallica lingua scriptos, cum Laurentius distincte profiteatur se ducis Biturigum voluntati obsecutum esse [1]. Hanc facilem viam generosus princeps excogitaverat ut bibliothecam augeret et impensae simul parceret. Nec credendum est res semel tantum, et casu quodam, ita sese habuisse ; namque aliud Boccacii opus Laurentius noster paullo post vertere coepit, quod eidem Biturigum duci dedicaret, sumptibus vero divitis cujusdam civis Parisiensis.

Postquam enim codicem a Martino Gouge oblatum libens et gratus dux Joannes acceperat, statim famosum Boccacii librum qui *Decameron* sive *Centum Novellae* inscribitur habere voluit [2]. Nec mora : anno

[1] In duobus praefationibus duci Joanni missis, librorum scilicet *De Casibus* et *Decameron,* Laurentius patroni voluntatem *(vos commandements, vostre especial mandement)* memorat. Vide praefationes illas ab Attilio Hortis editas, *Studi,* pp. 731 et 743.

[2] In prologo novae translationis legimus : « Lequel livre (des malheureux cas des nobles hommes et femmes), comme je croy, avez benignement receu et coloqué entre vos autres nobles et precieux volumes ; vous nouvelement avez delibereement fichié

MCDXI, circa mensem Maium, se operi accinxit Laurentius, longo scilicet atque etiam inaudito, cum italicae linguae prorsus imperitus esset translator! Cui, ut inceptum obtineret, monachus quidam Aretinus, Antonius nomine, socius adjunctus est, qui latine prius *Centum Novellas* Boccacii transtulit, translatioque iterum a Laurentio in gallicum sermonem translata est [1]. Per tres annos communem laborem sustinuerunt ambo, et rem ad effectum perduxerunt die XV mensis Junii, anno MCDXIV [2], hospes uterque « nobilis, prudentis et honesti viri » Bureau de Dampmartin,

> citoien de Paris, escuier, conseillier de tres puissant et tres noble prince Charles VIe de son nom roy de France [3].

De hoc Bureau de Dampmartin, cujus Laurentium « familiarem » fuisse codices demonstrant, et de ejus

vostre honneste plaisir à lire ou escouter le dessus dit livre des Cent Nouvelles, et icelui avoir par devers vous. »

[1] Hoc copiose exponitur ab ipso Laurentio in Prologo quem Centum Novellarum translationi praemisit, summatimque repetitur in titulo et in ea parte quam « explicit » vocamus.

[2] « Lesquelles deux translacions par trois ans faites furent acomplies le xv^e jour de Juing, l'an mil quatre cens et quatorze » (Bib. Nat. fr. 129, 239, etc... ; Arsenal 5070). Codex unus (B. N. fr. 239) in titulo addit etiam verba : « Et fut icelle translacion commenciee l'an de l'incarnation nostre seigneur mil CCCC et XI, ou mois de May ». Quae sit horum verborum auctoritas scire refert ; magna profecto foret, si codex ille transcriptus ab archetypo putari posset ; sed contra imperfectum esse et mendosum infra dicemus, ita ut verba, nunc prolata, a librario potius adjecta habeamus ; facile enim conjicere quilibet poterat translationes « per tres annos factas », et ad finem perductas medio mense Junio anni MCDXIV, mense Maio anni MCDXI circiter inceptas esse!

[3] Sic illum describunt in titulo codices supra dicti.

magnifica domo, Lutetiae sita, in via quae « rue de la Corroierie » dicebatur, pauca enarrat scriptor quidam, Guilebertus Mettensis nomine, qui descriptionem Lutetiae, regnante Carolo VI, composuit [1]. Guilebertus, qui scribae artem *(transcripvain*, ut ipse se dicit) videtur exercuisse, et librarius fuit ducis Burgundiae [2], Laurentium cognovit inter familiares divitis viri Bureau; magnas ei laudes tribuit, et propria manu pulcherrimum exemplar *Centum novellarum*, gallice, transcripsit [3]. Testis igitur idoneus et gravis poterat esse Guilebertus, quod ad rem nostram attinet, ni parum loquacem, heu ! se praestitisset [4].

Bureau de Dampmartin, quanquam multis distentus negotiis, doctos viros libens in domum suam recipiebat et pecunia tolerabat, ut ad varia opera animum cura liberum intenderent, quae Joannes dux Biturigum vel alius princeps appeteret; sic callidus homo potentis patroni gratiam se initurum esse sperabat. Ita saltem res acta est cum Laurentius dupli-

[1] Leroux de Lincy et Tisserand, *Paris et ses historiens au XIVe et au XVe siècle (Hist. gén. de Paris,* t. XXIII), pp. 117 et seq. Docto commentario editores descriptionem illam instruxerunt, ex quo quae sequuntur sumpsimus, praesertim ex App. VI (pp. 319 et seq.) et VII (pp. 391 et seq.).

[2] *Op. cit.,* p. 127.

[3] Arsenal, cod. 5070. Leroux de Lincy simulacrum edidit ultimae paginae illius codicis, p. 126.

[4] Inter pulchras aedes quae, Lutetiae, viatoris oculos maxime ad se convertebant, domus in qua tunc vivebat Laurentius his paucis verbis describitur: « Le bel hostel de Bureau Dampmartin en la Courarie ; lequel Bureau, entre les autres choses de son estat, tenoit ung poete de grant auctorité, appellé maistre Lorens de Premier Fait » *(loc. cit.*, p. 199).

cem *Centum Novellarum* translationem, Antonio Aretino adjuvante, aggressus est: Biturigum ducis voluntati perspicue expressae obsequebantur [1], sed impensam praestabat Bureau, donec a Joanne acciperet, una cum duobus translatoribus, « justum et dignum praemium ». Conjicere licet Laurentium certiorem factum voti Joannis, a Bureau, patrono suo, opem petiisse ut opus exsequeretur. A Campania enim oriunda erat gens Bureau [2], et in illa communi origine causam familiaritatis qua usus est Laurentius reperire est. Hoc saltem confirmat ipse translator, cum sibi patronum libentem favisse narrat :

> Et pour ce que la despence de cestui livre... estoit griefve et importable a moy..., je qui depuis long temps suis demourant avec noble homme Bureau de Dampmartin... requiz et demanday audit Bureau secours et provision pour ceste chose faire. Et il de joieux visage administra audit frere (Antonio Aretino) et a moy (Laurentio) toutes necessitez tant en vivres que en quelsconque autres choses convenables pour despence et salaire de nous deux [3].

Quam ob causam Laurentius hospes etiam tunc ejusdem Bureau habendus sit, cum, anno MCDXVI, libri *De Amicitia* gallicam translationem perficeret, supra exposuimus [4]. Nullum contra indicium collegimus ut illum arbitremur apud eumdem patronum

[1] Vide supra p. 12, n. 2.
[2] A Sémoine, pago parum distante ab Artiaca, velut Premierfait.
[3] Prologus *Centum Novellarum*, in fine (Hortis, p. 747; vide etiam P. Paris, *Mss. fr.*, I, 242-244).
[4] P. 8 et seq.

vixisse cum, anno subsequenti, Aristotelis *OEconomica* in gallicum sermonem vertit [1]. Subscriptiones enim et tituli codicum qui hoc opus continent pauca nos docent : unus tantum codex annum et mensem indicat [2] ; tres nomen translatoris, non annum tradunt [3] ; ceteri annum et nomen tacent [4]. Sed nihil causae est cur his majorem fidem adhibeamus quam illis qui res copiosius exponunt. Immo, codici qui diem, mensem et annum solus refert magnam esse auctoritatem arbitramur, ob ea verba quae post subscriptionem leguntur :

Collacionné par Gille hoste de l'escu de France [5].

Ex observatione manus constat ab eodem amanuensi qui totum opus transcripsit haec ultima verba exarata fuisse. Immo, ille « Gille » non alius esse quam Guilebertus ipse Mettensis nobis quidem videtur, qui nomen suum post *Centum Novellas* sic inscripserat :

[1] Non e graeco videlicet, sed e latino, ut jam fecerat Nicolaus Oresme.

[2] Bib. Nat. fr. 1085, cujus haec est subscriptio : « Cy fine le livre de Yconomiques composé par Aristote, prince des philosophes, qui fut ramené en langaige françois par maistre Lorent de Premierfait, l'an mil IIII^c XVII, le premier jour de fevrier » (id est MCDXVIII).

[3] Bib. Nat. lat. 4641 B, fol. 178 (in titulo : « discrete personne Laurent du Premierfait » ; vide Hortis, p. 619), et lat. 6495, f. 57 et 80 verso ; Chantilly, cod. 575, f. 183 (cod. 278 in novo Catal., t. I, p. 220).

[4] Bib. Nat. fr. 1020, in quo continentur libri *de Amicitia* et *de Senectute* a Laurentio translati, et fr. 24283, qui lectionem superioris codicis fideliter reddit.

[5] Bib. Nat. fr. 1085 ; vide supra adnot. 2.

Guillebert de Mets hoste de l'escu de France à Gramont[1], addebatque, eodem modo: *collationné*. Illi cum Laurentio necessitatem fuisse scimus; ejus denique manus mirum in modum similis est illius quam *OEconomicorum* translatio, a « Gille » transcripta, ostendit[2].

Aliud est etiam argumentum quod codicis nostri auctoritatem confirmat. In dissertatione quadam seculo XVIII editam, de antiquissimis gallicis translationibus[3], codex memoratur, *OEconomica* gallice continens, qui tunc in manibus archiepiscopi Viennensis erat, cum hac inscriptione :

Laurent de Premierfait traducteur des OEconomiques d'Aristote a la requeste de Simon du Bois, varlet de chambre du roy tres chrestien, l'an 1417 *(id est 1418),* le premier jour de Fevrier.

Quamvis hunc codicem ante oculos habere nobis non contigerit[4], magna fides huic descriptioni videtur adhibenda, ob perfectam similitudinem subscriptionis quam ex alio codice excerpsimus, quod saltem

[1] Quid significarent verba « hoste de l'escu de France » disquisivit Leroux de Lincy (p. 127), apud quem invenies etiam simulacrum magnifici codicis a Guileberto exarati (p. 126). Vide etiam Bradley, *Dictionary of miniaturists,* II, pp. 313-315.

[2] Hoc etiam adjungere possumus, Laurentii nomen scriptum esse *Lorent* a Gille ut a Guileberto *(Description de Paris,* p. 199 : *Lorens,* et p. 233 : *Lorent) ;* quae forma nominis satis frequentis raro occurrit.

[3] *Histoire de l'Académie royale des Inscriptions et belles lettres,* t. VII (1727-1730), pp. 292 et seq. ; vide etiam A. Hortis, *Studi,* p. 619, adnot.

[4] Quid de hoc codice factum sit compertum non habemus.

ad tempus translationis attinet. Quod si codicis Viennensis inscriptioni fidem adjungimus, ab eadem docemur Laurentium nostrum *Œconomicorum* translationi operam dedisse suadente Simone du Bois, quinto scilicet et ultimo ejus patrono.

Cum enim die prima mensis Februarii, anno MCDXVIII, summam manum Laurentius operi imponeret, pauci jam illi supererant menses : eo ipso anno mortuus est, ut Joannes de Monsterolio, Gontherus Colli et alii multi, quibus non pepercerunt Burgundiones victores, cum, mense Junio, Lutetia Parisiorum potiti sunt. Mirandum tamen videtur humilem clericum Trecensem et operosum translatorem, qui nunquam videtur in civitate versatus esse, e furore Burgundionum non effugisse!

Aliud etiam opus, librum scilicet *De Quattuor virtutibus,* qui tunc injuria L. Annaeo Senecae adscribebatur, quidam a Laurentio nostro in gallicam linguam versum contendunt, paucis inspectis codicibus in quibus translatoris nomen, sine anno, invenitur [1]. Sed adeo inter se discordant, quod ad translatorem attinet, codices qui hoc opus gallice praebent, ut maxima prudentia opus sit ne in temeritatis crimen incurramus.

Parisienses codices tantum raptim evolvamus. In codice fr. 1091 legimus:

Cy fine Seneque des IIII vertus translatees de latin en françoys par maistre Laurent de Premierfait (fol. 15 verso).

[1] Hortis, p. 619, adnot.

Codex fr. 1020 autem, qui duos Ciceronis libros et *Oeconomica* continet gallice, sub nomine Laurentii, post tractatum *De quattuor virtutibus* haec exhibet verba :

Icy fine le livre Senecque des quatre vertus cardinaulx, translaté en françois par Jehan Courtecuisse, l'an mil CCCC et trois (fol. 136),

et eamdem subscriptionem reperimus in codice fr. 581 (fol. 253), et in codice 5767 bibliothecae Arsenalis [1]. Codex fr. 190 denique tertio translatori opus adscribit :

Cy fine le livre de Seneque des quatre principales vertus translaté du latin en cler françois par maistre Jehan Trousseau en la cité de Bourges en Berry, l'an de grace mil trois cens LX et douze (f. 206 verso).

At opus in illis codicibus transcriptum, et Joanni Biturigum duci dedicatum, unum et idem est, nec quicquam ex variis lectionibus colligere est nisi solitos lapsus, scribarum imprudentiae imputandos. Cuinam ergo translationem adjudicandam censebimus?

Paulino Paris partes Joannis Courtecuisse tenere visum est, et in illius sententiam ivit vir eruditissimus Leopoldus Delisle [2]. Nos autem, ut Laurentio de Primofato opus vindicemus nulla causa inducit. Ceterum facile intelligi potest quo modo nomen translatoris nostri huc se insinuaverit : cum liber *De Quattuor Virtutibus* saepe cum aliis libris a Laurentio transla-

[1] In cod. Arsen. adjiciuntur verba « a Paris ».
[2] *Les Mss. fr.*, II, pp. 121 et seq. ; *Le Cab. des Mss.*, I, p. 60.

tis eidemque principi dedicatis occurreret, scribae cuidam exemplar habenti ante oculos sine ullo translatoris indicio [1], facile venit in mentem hunc librum ab eodem scriptore in linguam gallicam versum esse. Accedit eo quod nomen facilius quam annus, a quolibet fingi conjectura potest ; cum igitur Laurentii nomini nulla unquam notatio temporis adjuncta sit, praecipua fidei et auctoritatis causa destituuntur codices in quibus translatori nostro liber *De Quattuor Virtutibus* adscribitur.

II

Haec pauca de Laurentii vita colligere potuimus. Satis est ut intelligatur quanto studio humilis ille clericus libros latinos in gallicum sermonem assidue verterit ; minime autem valent ad exprimendum illius ingenium, mores et indolem. Qua prudentia, qua arte dignum se praestiterit qui « poeta et orator eximius » diceretur [2], aut quam sibi auctoritatem apud aequales constituerit non videmus, cum transferendis alienis operibus praecipuam, immo totam operam posuisse videatur.

Pauca tamen addenda sunt, primo de Laurentii poetica facultate, mox etiam de contentione quae inter illum et Joannem de Monsterolio intervenisse traditur.

[1] Sic in codice Petroburgensi jam prolato res se habet.
[2] Vide supra, p. 4. Guilebertus Mettensis eum dicit « ung poete de grant auctorité » (Leroux de Lincy, p. 199).

Carmen quoddam latinum, Laurentio adscriptum, quo Joannis Boccacii laudes continentur, in pluribus codicibus invenimus, interdum etiam in gallicos versus translatum. Quamvis bis jam editum sit[1], breviter de eo disserere ad rem pertinere censemus.

Undetriginta versibus latinis constat carmen, cui in codice quodam parisiensi hic titulus est :

Vers en latin faiz a la louenge de Jehan Bocace par Laurens de Premierfait translateur de ce livre (scilicet *De Casibus*[2]).

Nec supervacua erat illa librarii declaratio, cum vix Laurentium agnoscere possemus in subscriptione versuum : *Arcens Laurentius primus factus*[3] (alias *primus*[4]), aut *Arcens Laurentius Campanus*[5]. — « Campanus » tamen facile intelligitur, cum e Gallica Campania oriundus esset Boccacii interpres ; nec

[1] A Paulino Paris scilicet *(Les Mss. fr.*, I, p. 249, secundum lectionem codicis fr. 131), et prius, sed juxta florentinum codicem minus emendatum, ab Angelo Maria Bandini (cod. Laur. Palat. 228 ; vide *Catal. Bibl. Leopoldinae Laurentianae,* III, 470-471).

[2] Bib. Nat. fr. 131, p. 312.

[3] Florentiae, cod. Laurent. Palat. 228 ; erravit Bandini qui legit *Vicens laurentius pinus fac.*

[4] Bib. Nat fr. 131, fol. 312; Mus. Brit. 14, E, V, fol. ult.; Bib. Palat. Vindobonensis, cod. 12822 (de quo vide *Tabulae codd. Mss. in bib. palat. Vindob.*, VII, p. 151, ubi legitur : *Laurentii I (? de Medicis) carmen in Johannem Boccacium)* (sic !).

[5] Bib. Nat. lat. 14636, fol. 197 verso, et Mazar. 3877, fol. 167 ; in his codicibus legimus, post Boccacii libros *De genealogia deorum :* « Liber continens laudes qui incipit *Arcens laurentius campanus,* etc... », cum solis undecim versibus. Qui duo codices, eamdem lectionem praebentes, auctoritate destituuntur, quod saltem ad carmen attinet.

fallit quemquam verba « primus » et « primus factus » a nomine pagi Primifati (seu Primifacti) ducta esse a scriba quodam qui nomen illud non cognovisset. Sed quid sibi velit verbum *Arcens*, quod cognominis locum videtur usurpare, non liquet, nisi forte correctione utamur, et « Arceus » vel potius « Arcensis » legamus, nomina profecto ignota et barbara, sed quae a gallico nomine *Arcis* derivata esse potuerint. Utcunque res sese habuit, nihil est causae cur suspicemur hos versus injuria Laurentio adscriptos esse. Quin etiam, scribarum dubitationem ex nova, sed vera subscriptione ortam esse patet. Lectio « Campanus » sola locum sumpsisse obscurae vocis *primus* aut *primus factus* per emendationem videtur ; notandum tamen est Laurentium nostrum plane agnitum esse in obscura subscriptione ab eo qui pro « primo facto » censuit « Campanum » legendum esse.

Quod ad latini carminis translationem attinet, aut potius paraphrasim in duobus et quadraginta gallicis versibus, non admodum credibile videtur eam ab ipso Laurentio compositam esse, quamvis nunquam res in controversiam vocata sit [1]. Nam in codicibus Parisiensi et Londiniensi, qui soli post carmen latinum translationem praebent, sine ulla varia lectione, nomen Laurentii abest et in principio [2] et in fine gallicorum versuum, dum in latinorum titulo et subscrip-

[1] P. Paris, *loc. cit.;* A. Hortis, p. 622, n. 3.
[2] « L'exposition en françois des vers dessus escrips. »

tione, ut supra vidimus, nomen occurrit[1]. Lectorem quemdam igitur se oblectavisse in transferendis versibus latinis Laurentii verisimile est, ita ut qui tot opera gallice transtulerat, translatorem suum quoque habuerit !

Ceterum gallico carmini aeque ac latino tenuis laus tribuenda est, si quis in illis ingenium poeticum et artem intuetur. Digni tamen sunt qui attente legantur Laurentii versus, cum in eis reperiantur expressa quae vir litteratus, Lutetiae, ineunte seculo XV, de Boccacii vita et scriptis scire potuerat. Perpauca quidem sunt ; sed quantumvis tenuem et incertam existimemus Laurentii scientiam, non tamen omnino despiciendum est carmen tantis Boccacii laudibus insigne, et apud nos in primis ideo memoria dignum, quod famam florentini narratoris inter Gallos illius aetatis divulgavit.

Duas res tantum Laurentius vere exposuit de Boccacii vita, illum scilicet ab ignobili patre natum[2] nunquam laurea corona decoratum esse[3]. Quantum autem a vero alienum sit quod de florentini scriptoris matri-

[1] Bib. Nat. fr. 131 ; Lond. Brit. Mus. 14, E, V. — Versuum scriptura, in codice Londin., eadem est atque in toto libro ; in Parisiensi contra, versus latini et gallici non a librario transcripti sunt, sed a lectore quodam, qui varias adnotationes in marginibus codicis posuit.

[2] Vatum terra parens, sacris adamata Camenis
Itala............................
.... nuper genuisse Johannem
Boccacium media gaudet de plebe creatum.

[3] Quam meruit vivens laurum post fata recepit,
Si qua deis pietas et merces aequa labori.

monio significatur[1], non necesse est ostendamus. Patet Laurentium nullo libro in quo narraretur Boccacii vita usum esse, sed ea tantum collegisse quae fama, saepe infida, in Galliam traduxerat, quinto et vicesimo anno postquam obierat *Centum Novellarum* auctor.

Quae contra de Boccacii scriptis exponuntur propiora vero et diligentius explorata sunt, quamvis in enumerandis operibus nonnulla praetereantur. Haec profecto praecipua pars carminis multum valuit ut Laurentii aequales aliquid certi haberent de florentino scriptore nuper mortuo. Nec in versibus tantum continetur catalogus, ut ita dicam, Boccacii operum, sed etiam in titulo quodam longo quem in principio carminis latini invenimus. Hunc autem titulum ab ipso Laurentio compositum esse non incredibile videtur, atque ideo non indignum arbitramur quod hic diligenter transcribatur :

Johannis Boccacii de Certaldo[2] tusci oratoris facundi, qui Genealogie deorum gentilium primo, de Montibus silvis et fluminibus secundo, de Casibus virorum et mulierum illustrium tertio,de Claris mulieribus quarto et latine; de Constantia Griselidis Marchionisse Saluciarum quinto,

[1] In Veneris ludos connubia sacra secutus.

[2] Nomen pagi in quo natus est Boccacius, nomen ipsum Etruriae in carmine non invenimus; hunc igitur titulum a lectore quodam eo loco scriptum esse, qui versuum materiam tantum breviter complectus sit, credere non possumus. Laurentius autem facile Certaldi nomen cognoverat, quod in titulo librorum *De Casibus* occurrebat.

de Centum Novellis sexto vulgariter et sub rimo libros composuit, laudes incipit[1] in carmine[2].

Ex hoc titulo versibusque ipsis qui sequuntur colligere possumus a Laurentio pleraque Boccacii latina opera cognita esse; solum omittitur Bucolicum carmen, quod quidem parum divulgatum erat, et ideo cum Phoebo queritur scriptor quod Boccacius poetica facultate expers fuerit[3]. Vulgaria autem clari narratoris opera imperfecte memorantur: cum haec scriberet, Laurentius ignorabat Griselidis fabulam nihil aliud esse nisi ultimam « Novellam » libri qui *Decameron* inscribitur[4], nec poematum quae juvenis composuerat Boccacius titulos saltem acceperat, *Philostrati* scilicet, *Theseidos*, *Nymphalis Faesulani* et *Amatoriae visionis*, ut libros soluto sermone scriptos,

[1] *Incipit* pro *incipiunt* unicus grammatices error in hoc verborum circuitu ; Laurentius hoc verbo, ut *explicit*, invariabili usus est. Reliqua periodus, si quis perspicere velit, non clare, non eleganter, sed nec mendose, nec negligenter scripta est ; pro ***Genealogie... libros*** melius tamen dixisset ***de Genealogia***, et ***Centum Novellarum*** pro ***de Centum Novellis***.

[2] Cod. Laurentianus Palat. 228 hunc longum verborum ambitum fideliter reddit. Librarius autem quidam minus diligens ex hoc periodo titulos operum Boccacii excerpere volens, incautus scripsit : « et septimo liber continens laudes qui incipit ***Arcens Laurentius campanus*** », quasi Boccacius suas ipsius laudes carmine composuisset ! (Bib. Nat. lat. 14636, fol. 197 verso ; Mazar. 3877, fol. 167 ; vide Hortis, p. 623, adnot.)

[3]
Sed tibi, Phoebe, nefas, nisi religione vetarer,
Ascripsisse vacat quod nusquam plectra Johannis
Flexeris ad numeros et ameni carminis usus.

[4] Quod quidem non despiciendum indicium praebet ex quo colligamus hos versus prius esse scriptos quam Laurentius ***Centum Novellas*** gallice transtulisset.

Ametum, *Flammettam*, *Corbacium* et *Vitam Dantis* aut *Commentarium* taceamus. Verba autem « vulgariter et sub rimo » (i. e. sub rythmo) subobscura sunt: num ad Boccacii poemata nunc prolata referri possunt? Ordo tamen verborum satis demonstrat de *Centum Novellarum* libro tantum hic agi, qui, lingua vulgari scriptus, aliquot tamen carmina (italice: *ballate)* continet.

Notandum etiam eo tempore Boccacium apud Gallos historiae cultorem[1] et omnium bonarum artium institutorem habitum esse[2], potius quam scriptorem cujus musa procax, mira arte, res vanas et saepius obscenas enarraverit. Sed quo modo Boccacium Galli judicaverint, ineunte seculo XV, infra dicemus.

Ultimum superest testimonium de vita et moribus Laurentii de Primofato, gravissimum siquidem omnino fide dignum videbitur, ex epistulis Joannis de Monsterolio desumptum, de quo nunc disserendum est.

Cum Joannes de Monsterolio in porticu domus suae decem Lycurgi leges, a Justini historia excerptas, inscribi jussisset, in eum invectus est Laurentius, objurgans quod sententias pagani legislatoris praefer-

[1] Facta retro memorans Clyo suscepit alendum.

[2] Quid moror? Ille quidem insignis virtutibus, actis
Inclitus, ingenio pollens, facundus et ore,
In Veneris ludos connubia sacra secutus...

Gallica carminis latini paraphrasis majores etiam Boccacio laudes tribuit ob virtutis praecepta et exempla quae ab eo data esse credebantur:

Car tous ses livres sont de vertu droit ymaige,
A vertu font chemin, de mal font devoyer;
Tel auteur adonc doit avoir ou ciel partage.

ret Joannes divinis evangelii praeceptis, eumque ad studium sacrarum litterarum revocavit. Laurentio Joannes acerbe respondit, seque humaniorum litterarum fervidum et idoneum fautorem praestitit, in epistula qua vis multa multaque ironia exhibetur[1]. Quid censor imprudens opposuerit Joannis argumentis, et praesertim sententiis ab Aristotele, M. Tullio atque ipso Paulo apostolo sumptis non scimus. Nihil fortasse rescripsit[2], unde lis composita.

Ante omnia monendum censemus epistulas Joannis de Monsterolio semper nomine eorum ad quos missae erant destitui, ita ut Laurentium illum cui cum praeposito Insulensi contentio fuit nunquam cum translatore nostro aequandum esse in mentem venisset, ni adnotator quidam in margine codicis addidisset: *Iste Laurentius cognomento de Primofato fuit poeta et orator eximius*[3]... Hunc autem adnotatorem circa annum MCDLX vixisse et in manibus codicem habuisse conjectum est[4], et ideo modicam ei auctorita-

[1] Joannis de Monsterolio epistula in *Veterum scriptorum... amplissima collectione* (edid. Martene et Durand) edita est, vol. II, col. 1409-1411. Quam partem obtinuerit Joannes, praepositus Insulensis, in bonis studiis renovandis, regnante Carolo VI, demonstravit A. Thomas in doctissima dissertatione quae inscribitur *De Joannis de Monsterolio vita et operibus* (Parisiis, 1883); de lite Joanni a Laurentio illata vide *op. laud.*, pp. 84-85; vide etiam A. Hortis, *Studi*, pp. 635-636.

[2] In brevi epistula *Quem pleraque,* quam A. Thomas Laurentio missam censuit *(op. cit.,* p. 38), Joannes acriter Laurentium urget ut aliquid respondeat. Sed levissimis indiciis conjicitur hanc epistulam ad eamdem litem pertinere.

[3] Vide supra, p. 4.

[4] A. Thomas, *op. laud.,* p. 96.

tem esse quis negaret? Laurentii nostri nomen ille noverat; immo, multa et vera de vita, de morte, de operibus translatoris accepisse et fideliter memoria tenuisse poterat; num vero unum exstitisse Laurentium, cum regnaret Carolus VI, credibile est, non inter litteratos viros tantum, qui pauci tunc erant et plerique nomine saltem noti, sed et inter rigidos priscae fidei et disciplinae fautores, inter monachos scilicet, clericos aut episcopos, inter eos denique qui e rebus novis, ut e diaboli insidiis, pavidi animos avertebant?

Talem enim fuisse crediderimus Laurentium illum a quo Joannes lacessitus erat, hominem scilicet gravem, a profanis studiis alienum, cui satis auctoritatis fuerit ut in virum insignem potentemque, qualis erat Joannes de Monsterolio, invehi non dubitaverit, ac, nedum Joannis epistulae, producta controversia, responderet, sacris studiis totus se dederit profanasque disputationes contempserit.

Sed quisnam hanc effigiem Laurentio nostro « humili clerico Trecensi », « libenti servo » Ludovici ducis Borbonesii aut Joannis Biturigum ducis, et Joannis Chanteprime aut divitis viri Bureau « familiari » similem esse judicaret, ei scilicet quem per fere viginti annos transferendis solum profanis operibus deditum esse vidimus, cujus denique tantam in regno auctoritatem fuisse parum verisimile est ut iram praepositi Insulensis movere ausus esset?

Qua in quaestione, non id quidem admiratione dignum judicaverim quod Laurentius inconsulte in

Joannem, profanarum litterarum cultorem, invectus sit, quamvis ipse iisdem studiis toto pectore indulsisset. Homines enim a semet ipsis dissidere solent, et fabula quae duas a Jove peras nobis impositas esse narrat, sempiternam quamdam humani generis infirmitatem exprimit. Laurentius profecto plus quam quilibet alius translator illius aetatis profanis libris in gallicum sermonem convertendis operam dedit ; non ille libros *De Civitate Dei* ut Raoul de Presles, neque *Legendam auream* ut Joannes de Vignai transtulit. Inter opera quae gallice reddidit Laurentius, Boccacii libri *De Casibus virorum illustrium* christiano spiritu plurimum implentur.

Hoc contra mirandum videtur, Joannem scilicet, cum Laurentio responderet, nihil epistulae inseruisse quod in imprudentiam adversarii caderet, quod illius non malam fidem sed levitatem patefaceret, denique eum aliter dicere aliter operare demonstraret. Quamvis enim ironia Joannes in ultimis epistulae verbis usus sit, ea multo acrior multoque aptior videretur si Laurentio objecisset praecepta ejus cum exemplis parum consentire. Quanquam mediocriter pugnacem stilum coluerat Joannes, non is tamen erat qui optimam illam disputandi rationem omitteret !

Quid ergo inde colligendum est? Laurentium de Primofato cum Laurentio Joannis adversario aequari posse vix credibile arbitramur. Non tamen de duobus distinctis Laurentiis agi confidenter asseverare audemus; hoc saltem confirmari posse nobis videtur: si Laurentius unus et idem est qui M. Tullii, Aristotelis

et praesertim Boccacii opera transtulit, sacrorumque studiorum causam adversus paganae antiquitatis fautores oravit, fateri debemus duos homines, duas indoles, duas mentes in uno corpore exstitisse: hunc audacem, ardentem, gravem, « poetam et oratorem eximium », magnae auctoritatis et pietatis virum, novarum rerum asperum dissuasorem; illum autem modestum, humilem semper novo Maecenati obnoxium qui victum ei suppeditabat, pro sublimibus laudibus in prooemio cujusdam translationis expressis, ceterum impigrum et utilem auxiliatorem eorum qui primi renovandis classicis studiis operam dederunt. Alter epistula tantum Joannis et paucis aequalium testimoniis ostenditur; alterius vero certa quaedam habemus documenta, libros scilicet in quibus componendis, aut potius transferendis, aetatem consumpsit.

Nunc de hoc tantum erit sermo; quos scilicet Boccacii libros transtulerit, quo modo florentini scriptoris opera interpretatus sit et aequalibus legenda tradiderit investigabimus.

CAPUT II

BOCCACII LIBROS « DE CASIBUS VIRORUM ILLUSTRIUM » SEMEL ATQUE ITERUM A LAURENTIO DE PRIMOFATO GALLICE TRANSLATOS QUANTO FAVORE GALLI EXCEPERINT.

Maximam Boccacius famam sibi comparavit ex eo libro qui *Decameron* inscribitur; quis hodie de hoc dubitat? Non ita tamen majoribus nostris visum est, nam per totum seculum XV, in Gallia, non *Centum Novellae,* verum libri *De Casibus* laudem scriptori pepererunt; res magna scilicet et mirabilis haec est, nostra quidem sententia, cujus causas paucis verbis exponere operae pretium est.

Primo opera Boccacii, velut Petrarcae, latine scripta facilius Italiae fines superare poterant. Quis vero tunc in Gallia italicam linguam intelligebat? Latina communis omnium populorum erat, inter eos saltem qui se litterarum studio dedebant; ideoque Petrarcae carmina vulgaria, quae « nugas suas » ipse vocabat, et Boccacii *Decameron* serius in manus

Gallorum venerunt quam eorumdem aut philosophici aut historici libri.

Sed et ipsum operum genus causa fuit cur facilius intelligi et approbari possent. Nam Boccacii *Centum Novellis* et Petrarcae carminibus novus quidam animi humani exprimebatur habitus, nova vitae imago, ars nova, aetas denique illa, quae apud recentiores ex rediviva, ut videbatur, antiquitate nomen haberet. Quae contra latine composuerant, vitam, mores, sententias Medii Aevi multo fidelius referebant. Inter opera quae Boccacius juvenis aut ea quae scripserat vir maturus et jam senex hoc est discrimen, quod haec a sententiis, opinionibus et sensibus aequalium non dissidebant, illa autem eos prorsus offendebant. Quo ergo se verteret favor legentium non dubium erat, maxime apud Gallos, tunc e Medii Aevi disciplina nondum liberatos.

Majores enim nostros quo modo non oblectavisset opus in quo utilia vitae praecepta simul continerentur, et exempla a totius generis humani annalibus sumpta, forma cujus denique dulcedinem quamdam mutuaretur ab usu continuo narrationum et allegoriae? Haec omnia libri *De Casibus* praebebant. Totius operis argumentum paucis verbis contrahi potest : vitas eorum omnium memorat scriptor, qui, diu felices, repente « ludibrio fortunae cuncta vertentis » praecipites ruerunt, ab initio mundi — Adamus et Eva capitis primi materiam ministrant — usque ad Joannem, Francorum regem, qui, post infaustam pugnam apud Pictavam, carcere in Britannia attine-

batur. Inter innumeras personas illius humani dramatis praecipuas partes defendit Fortuna, quae assidue dat operam ut mortales cruciet; ictus autem ejus quam diligentissime vitare debemus, justitiam, humilitatem, caritatem, omnes evangelicas virtutes colendo. Historiae igitur continuo admiscetur doctrina moralis, simplex et sana, pueris ipsis intelligenda.

Forma denique, saepius fastidiosa ob expositionis similitudinem, nonnihil a genere dramatico mutuatur, cum omnes illi infelices, a Fortuna dejecti, scriptori, velut in somniis, gementes occurrant: auditis eorum adversis casibus, Boccacius eos miseratur aut increpat, et legentes instanter admonet ne ipsi in Fortunae insidias eodem modo incidant. Interdum etiam libro suo Boccacius dialogos et breves fabulas inserit, ut Fortunae et Paupertatis certamen[1], aut semet ipsum nunc cum Fortuna[2], nunc cum Francisco Petrarca colloquentem[3], aut plures personas simul inducit inter se vehementer litigantes[4].

Hae sunt, ut ita dicam, operis suavitates, quibus majores nostri, ultra quam cuiquam hodie credibile est, delectabantur cum cupide librum legerent gallice translatum a Laurentio de Primofato.

[1] L. III, c. 1.
[2] L. VI, c. 1.
[3] L. VIII, c. 1.
[4] L. I, c. 9: Thyestis et Atrei jurgium; l. VIII, c. 3: Tiberii Caesaris atque C. Caligulae jurgium cum Valeria Messalina; l. IX, c. 1: De quibusdam miseris et de Brunichilde Francorum regina.

I

Libros *De Casibus* bis a Laurentio nostro translatos esse, anno scilicet MCD atque iterum anno MCDIX, paucis jam exposuimus[1]. Nunc autem haec nostra defendenda est sententia, quoniam doctus quidam operum Boccacii scrutator censuit annum MCD, uno tantum codice indicatum[2], scribae cujusdam imprudentiae adscribendum esse. Quia alteram operis translationem anno MCDIX perfectam esse multorum codicum firmo et concordi testimonio constat, num exemplar prioris translationis in quo alius annus significatur prorsus fallax esse et omni auctoritate destitutum judicabimus[3]? Adeo captiosa argumentatione uti nolumus, cum unici illius codicis subscriptio non anni solum indicatione, sed omnino a ceteris discordet[4], cum praesertim subscriptio illa priori, ut jam diximus, non alteri translationi adjecta sit. Quid? Duas illas translationes eodem anno MCDIX a Laurentio confectas esse credibile est[5]? Hoc etiam

[1] Vide supra, pp. 4 et 11.

[2] Cod. Mazar. 3880, cujus subscriptionis ultima pars jam prolata est (p. 4).

[3] A. Hortis, *Studi*, p. 622, adnot. 2.

[4] Vide supra, p. 4, subscriptionem codicis Mazar., et p. 11, adn. 1, subscriptionem ceterorum codicum.

[5] In prologo alterius translationis Laurentius ipse dicit : « Comme donques *ja pieça* je Laurens a l'enhortement et requeste de aulcuns (*sc.* Joannis Chanteprime) eusse translaté de latin en françoys le moins mal que je peu ung tres notable et exquis livre de Jehan Boccace..., etc. » Vide Hortis, *Studi*, p. 740.

monere oportet, eum scilicet qui manu propria codicem de quo agitur exaravit non librarium, non amanuensem quemlibet fuisse, verum gravem magistratum, lectorem attentum, nomine Joannem Lamelin, qui in subscriptione res multas diligenter memoravit, e quibus conjici licet eum a Joanne Chanteprime, primo Laurentii patrono, exemplar obtinuisse e quo postea excerpta et compendium operis sumpserit; Joannes Lamelin enim, ut J. Chanteprime, consiliarius erat in Parisiensi Parlamento. Haec est pretiosi codicis subscriptio (fol. 133):

Icy finent les histoires abregees et les reprehensions contre les vices et admonestemens pour les vertus, extraictes au lonc du livre de Jehan Bocace de Certald, florentin[1] ... Et les ditz extraits faits et acomplis par moy Jehan Lamelin, conseiller en parlement, le XXIIIe jour du mois de Ottobre l'an mil IIII^{c} XXXI[2].

Permagni igitur aestimamus illius codicis auctoritatem, et jam codices qui libros *De Casibus* gallice translatos exhibent hoc modo describere possumus : eos scilicet quibus haec ipsa translatio continetur quam Joannes Lamelin die XIII mensis novembris, anno MCD, perfectam esse nos docet, eamque *priorem* nos jure vocabimus[3], et illos, numero plurès, in

[1] Subscriptionis partem quae ad Laurentium pertinet vide supra, p. 4.

[2] Vide *Catal. des Mss. de la Bibl. Mazar.*, t. III, p. 214. Erravit A. Hortis cum 1421 pro 1431 legerit.

[3] Codd. fr. 132, 597 et 24289 hanc translationem integram exhibent sine ullâ anni indicatione et sine translatoris nomine ; sed eamdem esse atque illam ex qua J. Lamelin excerpta sua collegerit non dubium est ; paucas enim paginas conferre satis est ut res manifesta appareat.

quibus *alteram* translationem invenimus, die XV mensis Aprilis, anno MCDIX, ad finem perductam, ut in plerisque codicibus declaratur.

Qua re probe stabilita et fixa, aliam dubitationem nunc tollere licet, de duobus Laurentii « Prologis », quos in multis codicibus alterius translationis simul legimus.

In altero prologo, multo breviore, qui nunquam in illis codicibus desideratur[1], causas explicat Laurentius cur opus suum retractandum esse judicaverit; ideo eum prologum scriptum esse patet ut in principio alterius translationis collocaretur. Prior autem, qui vice fungitur epistulae ad Joannem Biturigum ducem missae, et ex longa conflatur commentatione de potentia Fortunae in negotiis humanis, et de variis civium ordinibus, de ecclesia scilicet, de nobilibus, de ipsis humilibus agricolis[2], numero minore codicum exhibetur[3]. Hunc prologum ut priori translationi aptaretur conscriptum esse multi crediderunt, quem tamen librariis quibusdam in principio alterius translationis referre placuerit[4]. Nos autem rem ita sese habuisse minime concedimus.

[1] Ab Attilio Hortis editus est, *Studi*, pp. 740 et seq.

[2] Ab eodem editus, *ibid.*, pp. 731 et seq.

[3] Inter codices Parisienses, hi priorem prologum continent: Arsen. 5191 et 5193; Mazar. 3878; Bib. Nat. codd. fr. 131, 226, 228 (mutilus in principio), 231, 235, 237, 16994; S. Genov. 1129. Praeterea Genevensis cod. fr. 190 (vide *Catalogum* a Joanne Senebier edito, 1779); Lond., Br. Mus. 14, E, V et 20, C, IV; Oxonii, Bodl. 265 (2465).

[4] Hortis, *Studi*, pp. 623 et seq. — Carolus Kohler in *Catal. des Mss. de la Bibl. S.-Geneviève* (I, pp. 509-510), dum describit codi-

Ante omnia valde ad rem pertinet animadvertere priorem prologum nusquam ab altero disjunctum inveniri; quapropter nunquam cum priore translatione, nec in codicibus neque in editionibus, reperitur[1]. Huc accedit quod prior librorum *De Casibus* translatio Joanni Biturigum duci non dicabatur, ea obtinente prologi locum epistula quam ad Maghinardum de Cavalcantibus Boccacius scripserat, cum amico opus suum misisset[2]; in altera contra, omittitur Boccacii epistula, cui suppositus est prologus prior, id est Laurentii epistula ad Biturigum ducem. Sed et in eo ipso prologo « disjecta membra » epistulae Boccacii nuper a Laurentio translatae agnoscimus. Nam cum auctor Maghinardo narraret se quaesiisse diu cui principi opus suum mandaret, nec quemquam, praeter Maghinardum, vere dignum tali munere sibi visum esse, reges aetatis suae, imperatorem, summum pontificem recolebat et acerrime increpabat. Laurentius autem tres aequalium suorum ordines describit : « *Du cas de l'eglise presente. — Du cas de noblesse mondaine. — Du cas des labou-*

cem 1128, qui alterum prologum modo exhibet, monet : « Seconde rédaction sans dédicace », et de cod. 1129, in quo prologus prior legitur, scribit : « Première rédaction précédée de la dédicace au duc de Berry. » At translatio in his duobus codicibus transcripta una atque eadem est!

[1] Codices Parisienses quattuor priorem translationem exhibentes jam indicavimus; duas etiam ejusdem translationis editiones habemus, hanc Brugis impressam (1476), illam Lugduni (1483).

[2] In codd. fr. 597 et 24289 haec epistula gallice translata desideratur, sed eam invenimus in codice fr. 132, in excerptis Joannis Lamelin (Maz. 3880) atque in duabus editionibus.

reurs champestres », variorumque scriptorum ex operibus sententias eligit quas ad materiam suam optime conferri putat : cum de re rustica disserit, Vergilium ducem et magistrum sequitur[1]; sed in partibus superioribus, Boccacii vestigiis haeret, ut ipse confitetur :

> Es choses dessus dictes en ce present prologue jusques icy, l'on me doit tenir pour racompteur de paroles de Jehan Bocace en une sienne familiere epistre[2].

Quis autem istam paraphrasim scriptam esse credat ut ipsi Boccacii epistulae, in principio prioris translationis, jungeretur? Patet contra Laurentium, cum opus suum retractandum et novo patrono dicandum susceperit, omissa florentini epistula, ea tamen usum esse ut novum prooemium, Biturigum duci inscriptum, componeret.

Inde fit ut ambo Laurentii prologos ad alteram librorum *De Casibus* translationem pertinere credamus, epistulam vero Boccacii ab eo, cum prius se labori accinxisset, translatam esse, nullo adjuncto prooemio[3].

[1] « Mais quant au tiers cas present... je prens Virgile pour mon aucteur et maistre », quae verba notissimum Dantis versum in memoriam reducunt, quo florentinus poeta Virgilium quoque alloquitur :

> Tu sei lo mio maestro e lo mio autore (Inf, I, 85).

[2] Hortis, p. 737. Ultima etiam superioris capitis verba haec sunt : « Ces paroles ont fontaine et naissance d'une familiere epistre escrite par Jehan Boccace premier aucteur de ce livre. En ceste epistre il pleure le cas de mondaine noblesse. » (*Ibid.*, p. 735.)

[3] A. Hortis, in adnotatione quadam Studiorum suorum (p. 624) scripsit : « Del resto la lettera a Mainardo si trova preposta anche

De priore translatione pauca dicenda esse arbitramur : Laurentius accepto Boccacii volumine et ante oculos posito, fideliter verbum reddere verbo coepit, a titulo usque ad ultimam operis litteram[1]. Non opus est nunc demonstrare in quot et quanta vitia incurrat quicunque ea transferendi ratione utitur : imperitus adhuc erat Laurentius noster, cum primum grave translatoris officium assumeret; nec vocabulorum copia, proprietate, varietate poterat cum ipsa Boccacii latina lingua — inerti sane et parum limata — congredi, neque illa scribendi arte quae requiritur utique cum cujuslibet scriptoris sententiae perspicue, simpliciter et eleganter in aliam linguam convertendae sunt. Gallicam profecto linguam tunc nec docilem nec locupletem fuisse nos non fugit; sed propria sunt Laurentii vitia quaedam, ejus imprudentiae tantum adscribenda, quae facile vitare posset. Universum periodi cujusque sensum complecti non satis curabat, cum totus singulis verbis transferendis attenderet, viatoris instar qui dum nimium diligenter ante pedes intuetur, quotiescunque

ad alcuni codici della seconda versione. » Nullum similem codicem invenire mihi contigit.

[1] De titulo prioris translationis pauca observanda sunt. In codd. fr. 597 et 24289 legitur : *Des cas des nobles hommes et femmes* (latine enim Laurentius sic Boccacii libros nuncupabat : *De casibus virorum et mulierum illustrium* ; vide supra, p. 24, et inscriptionem codicis Mazar. 3880) ; in codice fr. 132 tamen alium titulum invenimus : *Du dechiet des nobles hommes,* qui prisci tituli, per emendationem, locum videtur sumpsisse, et in editionem lugdunensem (1483) commigravit ; Brugensis editio contra (1476) alio etiam modo inscribitur : *De la ruyne*...

ad trivium venit, ignarus viae, deerrat[1]. Boccacii periodos igitur serviliter reddit, addens etiam aut repetens verba quaedam, perspicuitatis causa, quae contra orationem et stilum enervant. In locum vocis latinae saepissime supponit vocem gallicam quae ex illa derivata est, etsi insolens videtur, vel prave sensum exprimit; ita ut qui priorem Laurentii translationem intelligere velit non mediocriter latinae linguae expertus sit oporteat.

Ne tamen infitiemur translatorem pro virili parte laboravisse ut aequalibus suis Boccacii sententias melius aperiret, verbisque et imaginibus magis recentiorum vitae consentaneis uteretur, quandoquidem Boccacius contra de industria antiquis coloribus quam maxime poterat libros conspersit. Sic, verbi gratia, *Allobroges, Aeduos* vocat « Grenoblois », « Otunois », aut classica mulierum *vela*, eodem loco, secundum gallicum usum « couvrechiefs » fiunt[2]. Immo, Laurentius ipse translationem commentario quodam interdum explanandam esse sensit, praesertim cum, absurdae transferendi rationi obsequens, verba omni sensu carentia scripserat; tunc eamdem rem aliis vocabulis exprimere conatus est[3]. Sed in

[1] Hujus modi errores crebro occurrunt; cum verbi gratia in cap. I libri III Laurentius legeret : *Eo ferente casu Fortuna transiens*... sic gallice transtulit : « Celle meme aventure portant, fortune passant... »

[2] L. I, c. 18.

[3] L. III, c. 1, Fortuna sic loquitur : « In ultimam gentium sortem illam (sc. Paupertatem) deduximus... », gallice autem a Laurentio sic sententia explicatur : « ... au derrenier mestier des gens,

ipso remedio patet translatoris imperitia, quae manifestior etiam fit cum errores atque ineptias auget, nedum tollat, commentarius[1]. Eadem denique in transferendo aut potius explanando Boccacii libro sedulitate usus est Laurentius, cum sponte sua certiora quaedam tradidit de minus claris hominibus, quos

c'est a dire nous avons demenee povreté a l'estat de mendier qui est le derrenier et le plus vilz mestier des gens. » — Ibid., Paupertas loquitur : « Ego dum sponte mea tua omnia abdicavi, orbem omnem te invita mihi concessi, et ex serva libera loquor femina » ; Laurentius autem : « Quant je de bon gré ay renoncié a toutes tes choses, maugré toy je me suis donnee tout le monde, et de serve je parle comme franche femme, c'est a dire : avant que je renonçasse a tes choses j'estoie ta serve, mais apres que je les ay renoncees je suis franche. » — L. IX, c. 21 : « ut irato cederent regi (sc. Templarii) » ; Laur. : « que ils ne donnassent lieu au roy courroucié, c'est a dire qu'ils octroyassent au roy la chose opposee estre vraye. » — Interdum etiam Laurentius sententiam prius jam translatam totam refert; ibid. : « cum unanimes saepe dicta firmarent » ; addidit translator : « c'est assavoir que se copie de juste juge leur estoit donnee ils prouveroient le contraire », quod quidem nihil aliud est nisi haec sententia prius enunciata : « si justi judicis daretur copia se contrarium probaturos. » — Ibid : « Dicerem eos tam perseveranti fortitudine avari regis vicisse perfidiam ni eo moriendo tendissent quo ejus adpetitus inexplebilis cupiebat » ; quod postquam Laurentius fideliter transtulerat, sic interpretatus est : « c'est a dire je diroye que le roi Philippe voyant le perseverant couraige des Templiers eust esté vaincu, se il ne venist a avoir leurs richesses par leur mort, lesqueles il convoitoit. »

[1] Pauca exempla satis fore hic quoque credimus. Cum, l. VI, c. 1, Boccacius dixisset « rude etiam eloquium non caruisse effectu quandoque », Menenii Agrippae fabulam memorat his verbis : « eo namque (sc. rudi eloquio) in patrum gratiam a Sacro monte plebs romana in Urbem reducta est... » ; Laurentius autem : « Car par ce rude langage estant en la gracieuseté des anciens, le peuple rommain fut ramené de la saincte montagne en la cité de Romme..., c'est a dire que le peuple jadis habitant es montaignes, vivant comme bestes, fut attrait venir es citez par les gracieuses paroles des anciens. »

nomine tantum auctor memoraverat, ipse autem legentibus parum notos esse suspicatus est[1].

Quamvis multis et gravibus vitiis deformetur ea Boccacii translatio quam priorem Gallis obtulit Laurentius, nulla tamen reprehendi potest nimia libertas. Scriptoris verba, sententiae, praecepta fideliter et verecunde ab eo redduntur, nec quicquam Laurentio objicere debemus nisi ipsam imperitiam. Sed translationis suae mendas ipse cognovit, immo eis ut disciplina quadam et, ut ita dicam, praeceptis usus est, quo melius postea translatoris officio fungeretur: nam latinum sermonem gallice ad verbum transferri non posse intellexit, praesertim cum, paullo post, Ciceronis librum aggressus est. Miratus enim quam vehemens, quam grave, quam praesertim breve foret M. Tullii dicendi genus[2], novam viam sequi, nova transferendi ratione uti statuit; nam in prooemio libri *De Senectute* a se translati, duas res sibi se proposuisse professus est :

[1] L. I, c. 18 : « ipsam Venerem : Venus la belle deesse d'amours » ; « ob Aeneae victoriam : pour la victoire d'Enee contre Turnus » ; « hosti patrem... tradidit : bailla son pere... au roy Minos, ennemi du dit Nisus » ; « Sino Semiramidis inclitam ob pruriginem legem : Je laisse la loy de Semiramis roine de Babillonie pour l'ordure d'elle, c'est a dire je laisse la loy que fist Semiramis ordonnant que chacune mere peust espouser son propre filz. » — Saepissime Laurentius nomen omissum exprimit (*Bersabee* l'egyptienne ; sa femme *Clytemnestre;* son ribaut *Egisthus)* aut contra nomini aliquid adjicit *(le cruel chien* Cerbere ; Lucrece *la tres chaste ;* Calpurnia et Sempronia *ribaudes)*, nec raro nomen Boccacii exprimit, cum scriptor prima persona usus erat : « Comme adont je *Jehan Boccace...* »

[2] « Ledit livre escript en tres courtet latin. » (Cod. fr. 1020, f. 3.)

L'une, pource que en langaige vulgar ne peut estre gardee plainement art de rhetorique, je useray de paroles et de sentences promptement entendibles et cleres aux liseurs et escouteurs de ce livre sans riens laissier qui soit de son essence : l'autre chose est que ce qui semble trop brief ou trop obscur, je le alongiray en exposant par mots et par sentences[1].

Quod etsi non optime, melius tamen persecutus est in duabus Ciceronis operum translationibus; et, jam artis suae magis peritus usuque informatus, post septimum aut octavum annum ad libros Boccacii jam prius a se conversos rediit, opusque emendavit, dilatavit, amplificavit, quo facilius intelligeretur et copiosiorem doctrinam legentes perciperent.

II

Quas tandem ob causas Laurentius priorem translationem retractandam susceperit praesentire possemus, etiam si eas perspicue ipse non exposuisset. Sed propositum sic explicavit in « altero prologo[2] » :

[1] *Ibid.* Non omittendum nobis videtur Laurentium, in hoc prooemio libri *De Senectute,* aliquot Boccacii verba et sententias usurpavisse ; nam sic Ludovicum Borbonesii ducem alloquitur : « Vous avez desservi... estre dit philosophe qui est un nom si tres avenant a prince, que tous empereurs et roys qui n'ont pas ars ne sciences ne sont empereurs ne roys mais sont semblables a asnes couronnez. » Boccacius autem in epistula ad Maghinardum scripserat (ipsius Laurentii translationem proferre hic placet) : « A la fin entrerent en mon corage ceulx qui portent couronnes royaulx et veullent estre tenus pour roys, mais ils sont asnes sauvages a beaux harnois... » et quae sequuntur.

[2] Hortis, pp. 740 et seq. Codicis fr. 131 lectionem tamen refero.

Il convient ce me samble que les livres latins en leur translacion soient muez et convertis en tel langaige que les liseurs et escouteurs d'iceulx puissent comprendre l'effet de la sentence senz trop grant ou trop lent travail d'entendement.

Haec fuit igitur laboris pars prior, scilicet ut caliginem et tenebras translationis nimis fidae et stili impediti dispelleret, sententias scilicet Boccacii interpretaretur potius quam transferret. Sed et altera causa erat, teste Laurentio, cur legentes aegre librum intelligerent: adeo rudes et litteris alieni erant ipsi illi qui tunc clerici vocari volebant, ut, cum libros a poetis, philosophis et historicis scriptos legerent, ea quae de hominibus et de rebus etiam satis illustribus breviter significabantur non intelligerent. Quapropter hoc quoque translatoris officium erat, ea copiose enarrare et commentario instruere quae summatim scriptor memoraverat:

Et par ainsi ce livre, moult estroit et brief en paroles, est entre tous le plus ample et le plus long[1], a le droit expliquer par sentences ramenables aux histoires. En faisant donques ceste besoigne longue et espendue et recueillie de divers historians, par le moian de la grace divine, je vueil principalement moy ficher en deux choses, c'est assavoir mettre en cler langaige les sentences du livre, et les histoires, qui par l'aucteur sont si briefment touchees que il n'en met fors seulment les noms, je les assouviray selon la verité des vieilz historians qui au long les escripvirent.

[1] Quia scilicet in libro memorantur miseriae eorum omnium qui crudelitatem fortunae experti sunt ab initio mundi usque ad Joannem II Francorum regem.

Duas res ergo inspicere debemus in altera Laurentii translatione : hanc « expositionem » vocabimus, quae ad sententiarum perspicuitatem tantum pertinet, illam contra « commentationem ».

De expositione imprimis notandum est Laurentium ipso Boccacii libro iterum non usum esse : priorem translationem suam, non latinum operis exemplar ante oculos habuit, nec quicquam sibi proposuit nisi clarius et copiosius exprimere ea quae prius inscite et inepte scripserat. Quod multis et validis argumentis comprobare licet, quae ex ambabus translationibus diligenter collatis decerpsimus : quoties quaerimus quid de eis locis factum sit in quibus Boccacii sententia prave expressa prius, aut prorsus prodita erat, adeo non in altera translatione mendam sublatam videmus ut eamdem contra saepius auctam et quasi amplificatam inveniamus, siquidem ex ineptia Laurentius sensum aliquem depromere voluerit[1] ; ea autem verba in quibus ipse nullam significationem inveniebat,

[1] Notavimus supra (p. 40, adn. 1) ineptam translationem verborum « Eo ferente casu Fortuna transiens » ; sic redduntur in altera translatione : « Or advint que a celle mesme heure Fortune qui par illec passoit... » — L. I. c. XVIII : « Insuper qui sint et ad quid nati perspicerent (juvenes), liberique animali tam indomito (mulieri) colla subicere recusarent » ; Laurentius non vidit vocem *liberi* ad alteram propositionem referendam esse, et ideo sic transtulerat prius : « Avec ce se ilz regardoient quoy ilz sont et a quoy ilz sont nez et francs, ils reffuseroient, etc... », et postea in errore perseveravit : « Se les hommes regardoient quoy ils sont, et pourquoy ils sont nez francs, ils ne voulroient point... » — In ultimo libri IX capite Laurentius ante oculos mendosam lectionem *fortune*, pro *forte*, habuerat (Et ne vos aliquali praejudicio ludi stabilitate decipi *fortune* contingat...) ex qua frustra sensum promere conatus est.

omisit[1]. Quin etiam ea quae sponte sua ipse olim commentandi causa addiderat, in altera servavit, dilatata quoque et ipsa explanata quasi a Boccacio scripta essent ! Sed ut res bis expressas atque ideo supervacuas tolleret, stilumque magis expeditum efficeret, totas periodos retractavit et quaedam praetermisit, non tamen ita ut quae servaret semper e Boccacio, potius quam ex interprete, manarent[2].

[1] L. VI, c. 1 : « Portiunculam labori meo, mea sententia, congruam videns ...cepi, malleoque ingenioli mei subpositam huc usque protendi... » ; translatio prior : « ...et icelle parcelle, mise sous le maillet de mon petit engin, j'ay estendue », sed in altera translatione « maillet » sublatum est : « et celle petite portion de histoires je ay mis en langaige tel comme je l'ay peu par mon engin. » — L. VI, c. IX (de Pompeio) : « Cum collega Metello qui divinos sibi honores ab hospitibus patiebatur inferri, et palmata veste apparatissima, inter hostilia arma, celebrabat convivia, coronasque ex culminibus domorum tanquam ex celo lapsas vertice avidius capiebat... » Totam sententiam, prius pessime translatam, Laurentius postea omisit.

[2] Pauca exempla jam protulimus (pp. 40-41, adnot.) sententiarum a Laurentio ultro adjectarum; hic damus alteram translationem eorumdem locorum. L. III, c. 1 : « Je l'ai ramenee a mendicité et a truandise qui est le dernier et le plus vil estat de toutes gens. » — Ibid : « Car malgré tien je ay renoncié de mon plain gré a toutes choses mondaines; je estoye serve a toy avant que je renunçasse aux choses de ce monde, mais apres ce que je les ay renoncees, je suis devenue franche. » — L. IX, c. 21 : « D'un mesme accord et d'ung couraige affermassent les choses cy-dessus dictes, c'est assavoir que qui leur donneroit copie de juste juge ils prouveroient le contraire des choses contre eulx opposees » ; perpauca igitur mutavit Laurentius ut priorem translationem ad novam formam redigeret. Locum etiam referre libet, jam ex priore translatione prolatum, in quo de Menenio Agrippa et plebe romana est sermo (l. VI, c. 1) : « Ainsi comme dit Tulle, par le rude langaige qui fut es anciens philosophes de gracieux et doulx maintiens, le peuple qui lors habitoit ou Mont Celius *(sic)* et autres lieux sollitaires, il s'en vint de illec habiter en la cité de Romme et es autres lieux publiques; et aussi la gent ancienne de Grece, de

Nimia fidelitate peccavisse Laurentium in altera translatione nemo igitur contendet; immo haec ipsa vox « translatio » verbosae et liberae paraphrasi parum apta nobis videtur. Attamen, quod ad « expositionem » operis pertinet, Laurentium eo quo vellet satis feliciter pervenisse fatendum est; nam revera altera translatio facilius intelligi poterat, et si forte nimis e recta via excessit Laurentius, mutando, addendo et tollendo[1], id tamen quod sibi proposuerat assecutus est; librum autem magno favore acceptum esse videbimus, quod magna ex parte eum absolvit.

Sed Boccacii librorum commentatio multo majoris momenti est quam haec singularum sententiarum expositio, aut paucae illae monitiones quae ad mores pertinent[2]: nam plus quam triplicata est operis

Italie, et de autre quelconque partie du monde, qui entre eulx encore ne avoient conversation ne marchandise, et qui comme bestes habitoient aux montaignes, ilz furent attraiz a venir es citez, converser et marchander ensemble, par les gracieux langaiges des clers, en quoy il avoit plus loyauté que douceur. » Longius ergo a Boccacii sententia erravit Laurentius ne dum ipse se corrigeret!

[1] Hoc exemplum omittere nolumus; initio libri VI (c. 1) Laurentius diligenter prius transtulerat locum in quo Fortuna Boccacio pollicetur opus ejus Certaldo, scriptoris patriae, magnam famam daturum : « ne deffauldra a ton oroison que ta ville de Certald ne soit comptee entre les nobles noms des anciens » (latine : quin et Certaldum tuum inter clara veterum nomina numerabitur). In altera translatione, timens forte ne insolitum videretur nomen, de quo praeterea nihil amplius dicere poterat, omisit : « Je seray favorable a ta requeste en tant que *ton nom et surnom* seront nombrez et escriptz entre les nobles noms et surnoms des anciens aucteurs... »

[2] In capite, verbi gratia, ubi de Joanne papa XII° (la papesse Jeanne) agitur (l. IX, c. 6) exclamat Laurentius : « O Dieu pour quel pechié soufris-tu que ceste femme eust l'eveschié de Romme et seist en la chaire de Saint Pere ? »

moles, cum assidue translator longos excursus, nunc historicos, nunc geographicos inseruerit, quorum pondere Boccacii libri omnino obruuntur.

Cum in loco quodam (l. I, c. XVIII), ut exemplis utamur, Boccacius aliquot mulierum nomina et casus adeo breviter memoravisset — Eriphylae scilicet, Danaes, Arachnes, Amatae, Scillae, Semiramidis, etc... — ut in codicibus binis columnis scriptis decem aut duodecim versus vix impleret, Laurentius earum cuique institit, ea omnia quae de illis omnibus collegerat exposuit, tresque altas ampli codicis columnas commentario replevit[1]. Saepe inter duo capita productiora, quibus res magni momenti enarratae erant, brevem infelicium quorumdam hominum indicem raptim inseruerat Boccacius, quos omittere nolebat, non ita tamen ut in eis diu mentes legentium defigerentur; Laurentius contra cujusque eorum vitas diligenter exponit. In libro VI, verbi gratia, postquam scriptor Caesaris et Pompeii contentionem diffuse exsecutus est (c. IX), et antequam ad M. Tullii casum veniret (c. XI), caput quoddam composuit cui titulus: « Ingens caterva dolentium » (c. X); in eo

[1] Cum nomen occurrit de quo jam antea Laurentius disseruit, ad antecedentem locum sedulo legentes remittit; sic in loco de quo nunc agitur, cum nominatur Progne, translator addit: « ...comme j'ay dit ou cinquiesme chapiltre precedent. » — Interdum etiam, minus cautus, nomina mutilat: *Eriphyle* in *Erudice* convertitur. Ceterum Boccacii quasdam sententias servat Laurentius, quae jam supervacuae sunt: « Je laisse a raconter la mauvaise loi que fit Semiramis... », et nedum relinquat, viginti scripturae versus ad id adhibentur! — Alio loco scriptor ut ignoscatur postulat, si nimis breviter res multas enarraverit, quas tamen translator diffuse refert!

breviter et saepius nomine tantum memorantur Ptolemaeus rex Aegypti, qui Pompeium prodidit, Juba, Aristobulus, Pharnaces, ultimus Scipionum, Cn. Pompeius, Brutus et Cassius, aliique multi. De quibus Laurentius quaecumque audiendo legendove accepit sedulo profert, ita ut quod in priore translatione duabus paginis continebatur, quattuordecim fere paginas, binis columnis, impleat[1]. Quin et ipsas partes, in quibus sibi Boccacius res praecipuas exposuisse satis copiose visus erat, Laurentius auxit pertinax, adeo ut caput in quo de Pompeio agitur quinquies longius factum sit[2].

Quid plura? Illis locis tantum haud inepte servatur operis ratio, in quibus majorem ostenderat artem scriptor, suosque ipsius sensus candide exposuerat; talia sunt capita quibus dramatica inest species[3] aut doctrina moribus utilis expromitur. Verum si ipsum Laurentii laborem judicare velis, hoc tibi sit documento: longam illam, et tamen satis rapidam, infeli-

[1] Codices contulimus fr. 24289 (prioris translationis) et 131 (alterius); hic tamen longe amplioribus foliis membranaceis constat, ita ut major etiam sit, quam ex illis numeris apparet, translationum discrepantia.

[2] Quae hic addita sunt, ea pertinent ad contentionem Pompeii et Carbonis, ad Sertorium, ad Albaniae et Hiberiae situm, ad Mithridatem qui trucidari voluit a *Gallo* quodam equite *(par desespoir et annoy de sa vie s'estoit fait tuer par un chevalier françois)*, ad Syriam « anciennement appelee Assirie », ad Phoeniciam, cujus nomen a Phoenice, fratre Cadmi « le fondeur de Thebes en Egypte » derivatum est, ad oppugnationem Hierosolymae a Pompeio, ad signa quae civilia bella praenunciaverunt (tribus columnis et amplius), etc...

[3] Vide supra, p. 33.

cium hominum recognitionem, quam sub specie visionis Boccacius descripserat, translator in id convertit quod recentiores « encyclopaediam » vocant, in quam omnem historicam geographicamque[1] disciplinam aetatis suae coegit.

Qui congeriem istam historiarum et moralium objurgationum exstruxit, eum mediocri judicio praeditum esse patet, quod ad scribendi artem attinet, mediocriterque et imperite fontibus usum esse e quibus antiquarum rerum cognitionem derivamus. Non tamen negari potest multa et varia doctrina, ut illis temporibus, eruditum fuisse Laurentium. Molestum illud et grave volumen, quod hodie inerti manu versamus, tunc avide litterati multi perlegerunt, quia in eo corpus quoddam historiae inveniebant; et perpauca, eo tempore, opera istius generis in promptu erant. Translatoris igitur laborem non inutilem judicare decet, et, quod praesertim ad rem nostram pertinet, Laurentii opus (opus enim novum vocari potest altera translatio) Boccacii nomen inter Gallos non modice extulit.

Laurentii doctrinam nunc perpendere non in animo est, neque excursus ejus translationis perscrutari, ut singulos fontes e quibus scientiam suam hauserit demonstremus. Sed in rem nostram aptissime cadit

[1] Minus longi sed multi sunt excursus illi qui ad locorum situm pertinent, patetque Laurentium peculiari quodam studio his notitiis institisse; assidue enim verba aliquot sententiis inserit. Fortuna, verbi gratia, sic Paupertatem alloquitur (l. III, c. 1) : « Je te getteray en tournant oultre les montaignes Riphees *qui sont a l'entree de Alemagne vers Septentrion.* »

ostendere quo modo ex aliis Boccacii operibus aliquid detraxerit ut libris *De Casibus* insereret, et ab ipso scriptore sumeret unde ejusdem opus interpolaret.

A Boccacii libro qui inscribitur *De montibus, silvis, lacubus, fluminibus, stagnis et paludibus et de nominibus maris* nihil mutuatus est Laurentius, quamvis titulum saltem cognosceret[1]. Quaedam contra, ut prima capita librorum *De Casibus* commentaretur, a tractatu *De Genealogia deorum gentilium* libroque *De Claris mulieribus* sumpsit, pluribus eorum operum locis nunc fideliter, nunc liberius, in gallicum sermonem versis, eadem transferendi ratione usus quam libro *De Casibus* constanter adhibuit. Hos locos breviter et singillatim exsequi non satis est[2], cum non suo numero aliquid habeant momenti, sed potius in–

[1] Vide supra, p. 24.

[2] Hi sunc praecipui loci a libris *De Gen. Deor.* sumpti : *De Cas.* I, 5; Phaetontis historia sumitur a *G. D.* VII, 41 (quibusdam omissis); quae ad Isida pertinent, a *G. D.* IV, 45; ad Apim, a *G. D.* II, 41 ; ad Danaides, a *G. D.* II, 22 ; ad Terea, Prognen et Philomelam, a *G. D.* IX, 8 ; — *De Cas.* I, 7 ; Medeae historia a *G. D.* IV, 12 sumitur ; — *De Cas.* I, 8, Eurydices casus, Talaonis filiae, a *G. D.* II, 39, et Danaes a cap 32 et 33 ejusdem libri ; — *De Cas.* I, 19 ; aliquid a *G. D.* XII, 13 sumitur de Hermiona, et Macareos Canacesque fabula a *G. D.* XIII, 21, fideliter. — Nunc autem ad locos a libro *De Claris Mul.* translatos veniamus : *De Cas.* I, 18 ; Arachnes casus, paucis omissis, a *Cl. M.* c. 17 ; Semiramidis, a cap. 2 ; — *De Cas.* II, 10, quod de Venere exponitur ad verbum expressum est a *Cl. M.* c. 7 ; — *De Cas.* II, 21, totam Tomyris historiam translator a *Cl. M.* c. 47 mutuatus est, paucis tantum verbis omissis in principio. — Materiam librorum *De Gen. Deor.* non ultra primum librum *De Casibus* imitari poterat Laurentius ; sed mirandum videtur nihil ab eo sumptum esse a libro *De Cl. Mul.* quod ad recentiores mulieres, in ultimis libris *De Casibus* etiam nominatas, referretur.

dole ipsa rerum quas Laurentius ex eis collegerit, et ideo pauca de sententiis et opinionibus quas ab aliis Boccacii scriptis sumptas expressit nunc dicendum videtur.

Quanto studio in libris *De Claris Mulieribus* et praesertim *De Genealogia deorum* scriptor in explanandas priscae aetatis fabulas incubuerit, ita ut ex iis significationem poeticam et allegoricam eliceret, pervulgatum est. Boccacii mythorum interpretatio animum aetatis illius optime demonstrat, quae divinis rebus prorsus repugnavit, et, fidei ferme expers, omnia de coelo in terram deduxit. Homines semper agnoscit sub fallacibus deorum scrutis; omnia vero miracula secundum naturam simpliciter evenisse comprobat: Venerem nunquam ex undis ortam esse, sed mulierem fuisse Cypriam contendit, quae « tanto oris decore et totius corporis venustate emicuit ut saepe intuentium falleretur credulitas », sed vitiosa femina et morum corruptrix exstitit[1]; Prognen in hirundinem mutatam esse et Philomelam in lusciniam negat, sed priorem atris vestimentis indutam in superiore domus parte usque ad mortem vixisse, alteram per silvas errantem assidue deflevisse et maesta carmina edidisse asserit[2]; Danaen a Jove in aurum converso vio-

[1] *De Cl. Mul.* c. 7; vide alteram translationem librorum *De Casibus*, II. c. 10, ubi de Didonis casu agitur.

[2] *De Gen. Deor.* IX, 8; cum hunc locum Laurentius alteri translationi insereret (l. I, c. 5), mutationes ipsas omisit ut solam interpretationem retineret; non tamen eam totam transcripsit, nam id quod de Tereo in upupam converso commentatus est Boccacius (non minus mirandum!) reliquit.

latam esse quo modo credidisset? Hac fabula puella quaedam significatur, ad quam, in domo clausam, juvenis amore captus, pretio sollicitatis servis, a tecto se insinuabat[1].

Audacem igitur et novam fabularum interpretationem, in qua propriam Boccacii indolem agnoscendam putamus, in aliquot alterius translationis locos Laurentius transfudit[2], et quantum illa interpretandi ratio a reliquis commentis, plerumque ingenuis et insulsis, dissideat, dicere non curamus.

Ceterum ea fere omnia Laurentius a libris sumpsit, ita ut de recentiorum casibus nihil ulterius dicendum habuerit, nisi forte pauca verba de Joannis Francorum regis morte [3], de qua Boccacius, etiam in posteriore operis conscriptione, tacuerat[4].

Inter paucas et breves commentationes quae in ultimis libris occurrunt, ea saltem mentione digna est in qua de florentini poetae Dantis de Aligheriis casu agitur. Boccacius jam miserabilem Templario–

[1] *De Gen. Deor.* II, 33; vide *De Cas.* (iterum transl.) I, 18. Vide etiam, eodem loco, Arachnes fabulam, et alios locos supra (p. 51, adn. 2) distincte prolatos.

[2] In aliquot, immo in paucos locos transfudit, nam saepius Laurentius ex aliis fontibus doctrinam suam hausit; fabula Herculis, verbi gratia, quam in l. I, c. 12, accepit, non eodem modo ab eo narratur quam a Boccacio in *Geneal. Deor.*, l. XIII, c. 1.

[3] « Et apres le paiement de tres grant somme d'or baillee pour sa rençon, il, sans estre delivrez, mourut soubz la puissance de son ennemi par une maniere de mort indigne, miserable, et incongneue a plusieurs. » (L. IX, c. 27.)

[4] Libros *De Casibus* bis a Boccacio conscriptos esse demonstravi in brevi quadam dissertatione inscripta: *Recherches sur le* De Casibus *de Boccace*, in libro cui titulus *Entre Camarades* (Parisiis, 1901, p. 279).

rum historiam narravit, et lectores paucis exhortatur ad patientiam, cum repente longus adest infelicium ordo, qui scriptorem urgent ut ipsorum calamitates in memoriam hominum redigat. Inter eos Dantes, quem semper Boccacius, ut magistrum, maxima veneratione coluerat, scriptorem alloquitur, non tamen ut pro se ipso preces effundat : irato vultu Gualterium Athenarum ducem, qui Florentinis libertatem adimere tentaverat, discipulo suo indicat, ut tyranno perpetuam infamiam afferat. Respondere vult Boccacius, sed jam evanuit Dantes.

Postquam hoc breve colloquium transtulerat Laurentius, longam addidit commentationem, satis imperite eis quae supra leguntur conjunctam[1], in qua Lutetiam venisse Dantes dicitur, ubi plures mirandas res viderit, et, poemate Joannis de Magduno cui titulus *Roman de la Rose* cognito, inde *Comoediam* suam derivaverit[2]. Deinde translator Athenarum ducis casum aggreditur[3].

Ab aliquo libro, ubi Dantis vitam enarratam invenerit, Laurentium haec mutuatum esse parum

[1] Altera translatio capitis 23 (l. IX) sic concluditur: « Mais a present plus ne parle de lui *(sc.* Gaultier duc d'Athenes), car ou chapitre ensuivant je compteray plus largement son cas. » Hic tunc Laurentius ulterius addidit (vide infra, p. 55, n. 1): « Pour ce toutevoies que je ay parlé de Dant noble poete florentin, savoir affiert que cestuy Dant..., etc... »

[2] Locum totum ab Attilio Hortis editum invenies (*Studi,* p. 626, n.), non tamen sine pluribus mendis nec secundum lectionem optimi codicis Arsen. 5193, de quo vide infra p. 55, n. 1.

[3] His verbis Laurentius finem dedit narrationi historiae Dantis : « Or vueil je doncques venir a compter le cas de Gaultier noble duc d'Athenes. »

credibile videtur, sed potius a rumore inter litteratos divulgato et voce tantum tradito. Non solum enim nulla istius fabellae vestigia in alio quolibet scripto reperire est, sed eam ex parisiensi fonte, non ab italica, defluxisse patet. Laudi dari ergo Laurentio debet quod hoc loco aliquid nobis tradiderit eorum quae tunc, Lutetiae, de claro poeta Dante, in colloquiis circumferebantur[1].

III

Qua ratione Boccacii libris *De Casibus virorum illustrium* semel atque iterum transferendis in gallicum sermonem operam dederit Laurentius de Primofato demonstrare tentavimus. Reliquum est ut

[1] Non in omnibus codicibus alteram Laurentii translationem praebentibus continetur hic locus de Dante, ut jam observavit A. Hortis *(Studi*, p. 627, adnot.); sed peculiari nota hic dignum habemus nitidissimum codicem Arsen. 5193, e bibliotheca ducum Burgundiae provenientem (Barrois, *Bibl. Protypogr.* nº 880), quem nos Laurentii autographum, aut ipsius autographi diligentem transcriptionem, ejus ipsius utilitatis causa exaratam, credimus; nam in eo solo, post priorem prologum, nomen *Laurens* legitur, chirographi instar, et ea quae nunc exponemus diligenter animadvertere decet : in illo codice, ultima verba capitis 23 (l. IX) sunt : « ... ou chapitre ensuivant je compteray plus largement son cas » (vide supra, p. 54, n. 1), post quae scriptor — aut amanuensis quicunque — imam partem columnae vacuam reliquerat, vacuam quoque insequentis folii paginam priorem (fol. 395 recto), et priorem columnam paginae posterioris (fol. 395 verso). Postea adjecta est narratio itineris Dantis in Galliam, ita ut nova linea inciperet; illa tamen narratio non adeo longa erat quae spatium vacuum totum impleret (columna ultima adhuc vacua est). Res ita sese habuisse confirmatur brevium corsarum pictarum observatione, quae in hoc codice eo loco tantum desiderantur; constat ergo

de operis sic translati et amplificati fortuna apud Gallos breviter loquamur, et imprimis legentes moneamus ne nimia severitate translatoris laborem damnent. Illum sane Boccacium quem Laurentius aequalibus suis ostendit plane ab eo dissimilis est qui junior *Nymphalem Faesulanum, Flammettam* et praesertim *Centum Novellas* composuerat; quod quidem Laurentio imputari non potest, sed potius ipsi Boccacio qui revera in libris *De Casibus* historicae disciplinae et asceticae vitae cultorem se praestiterat. Illius opus translator longius, languidius, fastidiosius effecit; sed quid postea? Nec scriptoris propositum tandem adulteravit, nec totius libri divisiones, et, ut ita dicam, oeconomiam mutavit.

Modicae laudes istae sunt profecto; neque enim in Laurentio praeclaras ingenii dotes mirari possumus! Sed non semper mediocribus scriptoribus negantur plausus, praesertim cum ad aequalium suorum mentem et doctrinam egregie se accommodant, librosque fluenti stilo et temporis necessitatibus aptos conscribunt. Laurentius de Primofato e numero eorum scriptorum fuit qui, magnis virtutibus destituti, magnum tamen sibi favorem operibus suis conciliaverunt.

Reges, principes, nobiles, potius quam clerici et litterati, summo studio Boccacii opus a Laurentio

jam perfectum fuisse miniatoris opus cum addita est ultima pars capitis, et ideo facile intelligimus quaedam operis exemplaria transcripta esse ante additionem, quaedam contra post additionem.

translatum et explanatum consectati sunt. Quippe volumen illud divulgandae doctrinae inter eos qui tunc illius expertes et ignari erant maxime idoneum, nec injuria, judicabatur. Hoc numerus ipse codicum comprobat, quos in multis publicis bibliothecis videre est, summa cura omnes, quosdam etiam magnis sumptibus exaratos, vera miracula artis librariae et picturae gallicae seculo XV[1]. Quos codices multi possederunt quorum nomina, usque ad memoriam nostram tradita, hoc loco referre non videtur ab re esse. Inter illos enim claros homines memorandi sunt: reges Franciscus I[2] et Henricus IV[3], comes stabuli Carolus dux Borbonesii[4], Johanna de Francia Caroli VII filia et ducissa Borbonesii[5], Johanna Ludovici XI notha et Ludovici Borbonesii nothi conjux[6], Antonius Burgundiae nothus, frater scilicet Caroli Temerarii[7], ut minoris momenti viros omittamus, divites scilicet et potentes cives, non e regiis gentibus oriundos[8].

[1] Praeter codices Parisienses duarum translationum (numero tres et triginta quos omnes recognovimus), decem sunt quibus uti non potuimus, inter quos hic memoria dignus est codex magnificus in Bibl. regia Monacensi servatus (cod. 369), cujus picturae Joanni Fouquet adscribuntur (vide Hortis, p. 934).

[2] Bib. Nat. cod. fr. 231 ; vide P. Paris, *Les Mss. franç.*, II, p. 240 ; L. Delisle, *le Cabinet des Mss* , I, p. 150.

[3] Codd. fr. 235-236 (P. Paris, II, 243).

[4] Cod. fr. 16995 (L. Delisle, I, p. 172).

[5] Cod. fr. 227 (P. Paris, II, 232 ; L. Delisle, I, 169).

[6] Cod. fr. 230 (P. Paris, II, 238 ; L. Delisle, I, 170).

[7] Arsen. cod. 5192 *(Catal. des Mss. de l'Arsenal,* V, 115-116).

[8] Tales sunt « Jean de Daillon seigneur de Lude » (cod. fr. 127 ; vide P. Paris, I, 233), « Jacques de Bar seigneur de Baugy en Berry » (Arsen. cod. 5281 ; vide *Catal.*, V, 188), aut « Jehan Paumier receveur à Lyon » (cod. fr. 229 ; P. Paris, II, 235).

Ceterum parvam tantum partem codicum seculo XV editorum ad nos pervenisse patet, et ex antiquis librorum catalogis colligimus nullam fere bibliothecam tunc fuisse in qua non invenirentur libri Boccacii *De Casibus* a Laurentio translati[1].

Cum autem inventa est ars typographica, inter opera quae statim typis mandata sunt, librum Boccacii, gallice, reperimus. Anno enim 1476, prior Laurentii translatio Brugis edita est a typographo Colardo Mansion, iterum Lugduni anno 1483 apud Mathiam Husz et Joannem Schabeler. Accuratam et laude dignam, quod ad lectionem attinet, editionem Brugensem existimamus, in qua, cum codicem quemdam, nunc Parisiensem, Colardus Mansion transcriberet[2], latino tamen operis exemplari usus, plura

[1] Vide, verbi gratia, catalogum librorum qui fuerunt Carlottae de Sapaudia, alterius conjugis Ludovici XI, apud L. Delisle, I, 93, et inventaria librorum ducum Burgundiae, apud Barrois, *Bibl. Protypographique* (n. 673, 875, 880, 881, 883, 1648, 1673, 2199). Haud ita pridem editum est a Dupont Ferrier *(Bibl. de la Faculté des Lettres de Paris,* fasc. III, 1897, pp. 55 et seq.) inventarium quoddam « des livres trouvez en l'armoire du retrait de feuz Mgr » (Joannis scilicet de Aureliano, Engolismae comitis, avi paterni regis Francisci I), die prima mensis Junii, anno 1467 confectum, in quo primum locum obtinet codex alteram translationem librorum *De Casibus* continens. — Codex quidam inscriptus *Du Dechiet des nobles hommes,* qui ad usum Jacobi Armeniacensis, Nemosi ducis, conscriptum est anno 1465 (L. Delisle, I, 87) priorem translationem continuisse videtur, ob ipsum titulum (vide supra, p. 39, adn. 1). Nihil scimus de libro sic descripto : « ung livre appellé Bocasse » qui numerum 16 obtinet in inventario librariae nothi Aurelianensis, anno 1468 (L. Delisle, III, 194), sed translationem librorum *De Casibus* fuisse non incredibile videtur.

[2] Codex ille, nunc fr. 132, Ludovici Brugensis « seigneur de la Gruthuyse » fuit, antequam in regiam bibliothecam Blesensem de-

diligenter emendavit, ut ex rapida collatione satis constat[1]. Lugdunenses vero typographi priorem editionem, non paucis temere mutatis, secuti sunt[2].

Alteram translationem primus typis mandavit Joannes de Prato (Jehan du Pré), Parisiensis, cujus nitida et elegans editio die 26 mensis Februarii, anno 1483 (id est 1484) ad finem perducta est. Non mediocris momenti nobis visum est exquirere quanti facienda sit prima illa uberioris translationis typographica editio, cum postea ceterae editiones nihil aliud sint nisi hujus merae, plerumque corruptae, imitationes. Joannes de Prato satis diligenter codicem quemdam transcribendum curavit, non tamen inter optimos numerandum[3], nec adeo religiose ut Laurentii translatio aeque judicari possit ab eo qui, contemptis codicibus, editione sola uteretur[4]; sed

veniret (L. Delisle, I, p. 140; cfr. van Praet, *Recherches sur Louis de Bruges*, Lutetiae, 1831).

[1] Non solum enim verba omissa in codice supponuntur, sed et assidue prima verba latina periodorum translationi inseruntur.

[2] Lectio igitur optimorum codicum prioris translationis (fr. 597 et 24289) nunquam edita est. Quantum erraverint qui in illis codicibus contineri censerent refectionem alterius translationis, quam Petrus Faber quidam, anno 1458, elaboravisset, optime jam demonstravit A. Hortis, *Studi*, pp. 613 (adnot.) et 823.

[3] Codex a Joanne de Prato transcriptus eamdem lectionem praebebat ac magnifici codices fr. 128 (librum primum *De Casibus* continens) et 20086 (quattuor ultimos libros continens), splendidis picturis ornati. Quae lectio priorem Laurentii « prologum » non continet, unde facile intelligitur cur prologus ille nunquam typis mandatus sit, nisi nuper ab Attilio Hortis.

[4] Codices, quorum lectio maxima fide videtur digna, sunt, in Bibl. Arsen. cod. 5193, de quo supra diximus (p. 55, adn. 1), et in Bib. Nat. cod. fr. 226.

sine ulla dubitatione anteponenda est illa editio, quod ad lectionem pertinet, omnibus eis quae ulterius divulgatae sunt.

Cum enim, post decem annos, typographus Parisiensis Antonius Verard pulcherrimum volumen edidit *Des nobles malheureux* (anno 1494), nihil novi in eo reperiri poterat, nisi fraudes quaedam quae nihil ad auctoritatem libri conferunt; nam nomen translatoris tacuit Antonius Verard in titulo[1], et, quibusdam in altero prologo Laurentii mutatis, opus nomine suo regi Carolo VIII dicavit[2]. Postea editiones ex editionibus ortae sunt, continuo favore acceptae[3], donec alter translator, Claudius Witart, anno 1578, diligentius et juxta genuinam formam operis, Boccacii librum Gallis iterum praebuerit. Sed de hac nova translatione, semel tantum typis mandata, hic loqui non expedit, nisi ut dicamus Claudium Witart quoque ob eam causam florentini scriptoris libro transferendo dedisse operam, ut legentibus proponeret

[1] Nomen Laurentii tantum superest in brevi quadam inscriptione quae, in editione Joannis de Prato tituli locum obtinebat (fol. A, II); sed eam Antonius Verard post indicem capitum rejecit, quo minus illam animadverterent legentes.

[2] Apud A. Hortis invenies verba mutata aut addita ab Ant. Verard, *Studi*, p. 740, adnot.; alterum prologum sic deformatum retulerunt editores Michel Lenoir, Nicolas Couteau, etc... Sed non possumus confirmare renovando stilo quoque et linguae, secundum recentiorem usum, Antonium Verard dedisse operam, ut bibliographi Brunet, Graesse et ipse Hortis contendunt (*Studi*, p. 827).

[3] Non minus quam novem editiones alterius translationis bibliographi numerant (A. Bacchi della Lega, *Bibliografia boccaccesca*); non illas tamen omnes videre nobis contigit (cfr. Hortis, *Studi*, pp. 825 et seq. et 900).

... une doctrine qui fût à leur salut..., comme estant... non seulement plein (*sc.* l'ouvrage de Boccace) de philosophie, mais aussi remply d'instruction tres chrestienne et conduisant à la vie éternelle.

Boccacium igitur a primis seculi XV annis usque ad alteram partem seculi insequentis Galli venerati sunt tanquam austerae doctrinae moralis praeceptorem. Quis neget Laurentium de Primofato multum valuisse ut scriptor talem famam consequeretur? Hoc saltem constat, nullum Boccacii librum, eo tempore, magis divulgatum esse quam tractatum historicum et moralem *De Casibus;* nam, ut pauca exempla proferamus, familiaris quidam et historiographus ducum Burgundiae, Georgius Castellanus de Alost (1405?-1475) libellum composuit inscriptum « le temple de Bocace », quem non imitationem tantum, sed continuationem potius operis Boccacii vocare licet[1]; Antonius de La Sale[2], Clemens Marot[3], Ludovica Labé[4], ipse Brantôme[5] non minus idem opus quam ipsas *Centum Novellas* imitati sunt aut commemoraverunt.

Gallos igitur, praesertim seculo XV, libris *De Casibus* inter Boccacii opera praecipue oblectatos

[1] Georges Chastellain, *Œuvres* (ed. K. de Lettenhove; vol. VII).

[2] *Cent Nouv. Nouv.*, XXVIII.

[3] Praecipue in elegia XXII (de J. de Semblançay).

[4] In discursu V operis cui titulus *Débat de folie et d'amour* (ed. Lugduni, 1824, p. 38) locum quemdam libri I, c. 18 Boccacii (de muliebri lenocinio) imitata est L. Labé.

[5] *Vie des dames galantes*, passim.

esse patet.[1] Id tamen soli Laurentio imputare non aequum est, quippe qui *Centum Novellis* gallice transferendis, per tres annos, non minus diligenter operam dederit; sed non ille efficere poterat ut pari favore *Decameron* legeretur.

De hoc novo translatoris labore nunc disserendum est.

CAPUT III

DE BOCCACII CENTUM NOVELLIS, QUAE VULGO « DECAMERON » INSCRIBUNTUR, A LAURENTIO DE PRIMOFATO GALLICE TRANSLATIS.

Quando et quo modo Laurentius, tunc hospes et familiaris divitis viri Bureau de Dampmartin, Boccacii opus famosum — ambiguo enim verbo utar — in gallicum sermonem converterit, breviter jam exposuimus[1] : Joanne Biturigum duce jubente, translator operae accinctus est, eique Bureau impensam praestitit, quam tamen dux postea, teste Laurentio, solvit[2].

Ab humili Trecensi clerico negotium libenter susceptum esse aegre credimus, quippe qui neque italicae

[1] Vide supra pp. 12-15.

[2] « Toute la retribucion du labour et de la despence dudit livre depuis a esté liberalement faicte et administree, en tant que vous estes le vray et seul mediateur par qui le dit livre est ainsi compilé et escript... » (Epistula ad Joannem Biturigum ducem, ab A. Hortis edita, *Studi*, p. 743.)

linguae gnarus esset, neque in *Centum Novellis* doctrinam illam seu historicam seu moralem legeret qua summo opere in libris antea translatis delectatus erat: vanitate profecto fabellarum, immo nugarum, quas gallice exprimere jubebatur offensus est, et cum jam in eo esset ut opus suum in manus hominum daret, excusatione quadam uti volens, ducis Biturigum patrocinium timidus flagitavit his verbis, quae, e prooemio collecta, referemus :

Jadiz fu et est licite et permis aux sages hommes de faire menement soubz fiction aucuns livres en quelconque honneste langaige, par quoy les hommes perturbez et esmeuz pour aucuns cas prengnent en lisant ou en escoutant aucun soulaz et leesse, pour hors chasser du courage les pensemens qui troublent et empeschent les cueurs humains... Pourtant Jehan Bocace de Certalde, en son temps noble citoien flourentin, homme bien enseigné en science et histoires divines et humaines, considera, comme dit est, que nos premiers parens et nous descenduz d'iceulx en lieu de cent mil biens avons encouru cent mil malheurtez et dommages, entre lesquels sont paour et douleur, par qui tous autres biens mondains sont effacez et destruis; et ces deux dommages sont communement si enracinez es hommes que du tout ils ne peuent estre esrachiez. Il suffit ou peut suffire que, par aucun temps, ilz puissent estre souspenduz ou admoindriz par quelconques honnestes delectations et joies sans offendre Dieu ne homme... Et combien que selon le hastif jugement de celui ou de ceulx qui sans precedente et longue consideracion dient et prononcent leur sentence, les Cent Nouvelles semblent plus servir a delectation que au commun ou particulier prouffit, neantmoins l'escouteur ou liseur qui longuement et meurement advisera le compte de chacune nouvelle, il trouvera es histoires racomptees plus profit que delict. Car illec sont

tous vices morsillez et reprins, et les vertus et bonnes meurs y sont admonnestees et loeez en autant et plus de manieres comme est le nombre des nouvelles. Et assez aussi appert que cestui livre des Cent nouvelles est moult autre et different des fables des poetes, soient comiques ou tragiques[1] qui seulement servent aux delitz ou prouffis des personnes populaires[2]...

Illos praesertim reformidare videtur translator qui pietatis et virtutis speciem solam imitati, quo facilius sua ipsorum vitia in aliis incusata damnarent, sacra Biblia tantum in gallicum sermonem transferre pro licito haberent; quibus Laurentius respondet opus sacrilegum esse divinas Scripturas vulgariter exprimere :

Car je congnois par moy, et aussi j'ay oy dire a hommes sages et auctorisez, que entre lectrez françoiz ne advint oncques si grant abusion ne si reprouvee maniere comme d'avoir translaté en langaige vulgar la saincte Bible, escripte artificiellement par saints docteurs latins. Les translateurs, quelz qu'ilz soient, ont commis sacrilege en desrobant, ravissant et ostant la beaulté et l'atour du tres precis langaige et la magesté des sentences, et par entremesler impertinens et malsonans paroles; par quoy ilz comme folz cuiderent ouvrir, mais ilz cloyrent les celestielz secretz et les divins misteres a ceulx qui n'ont sciences infuses ne acquises. Et ainsi raisonnablement il loist et est

[1] In praeteritis non relinquenda sunt haec vocabula, *comique*, *tragique*, jam tunc a Laurentio usurpata, quorum exempla multo recentiora tantum invenies in optimis glossariis linguae gallicae (v. gr. apud Hatzfeld et Darmesteter; Godefroy nullum exemplum praebet).

[2] Bib. Nat. fr. 129, fol. 1-2. Cfr. Hortis, *Studi*, pp. 744-745, apud quem nonnullos tamen transcriptionis errores reperies.

permis translater seulement en vulgar celles histoires ou escriptures qui ont ung seul sens et entendement simple selon la pure lettre.

Cum tamen suis ipsius argumentis non omnino metu levaretur, professus jam sese invitum huic translationi tempus suum dedidisse[1], defensione duci Biturigum commissa, saepius confirmavit non suum sed ducis ipsius esse totum opus :

A vous donc excellent, noble, puissant duc et prince... je attribue et dedie cette presente mienne œuvre de long et grand labour; si veuillez des maintenant a tousjours deffendre ma cause comme la vostre contre les detracteurs qui injustement vouldront par adventure contrester a ceste vostre œuvre par moy faicte au moins mal que j'ay peu.

Quod ad inscitiam linguae italicae pertinet, socius Laurentio adjunctus est monachus quidam Aretinus, Antonius nomine, qui Boccacii fabulas latine prior expressit; Laurentius autem ejus translationem ab integro transtulit[2].

[1] Vide periodum hisce verbis inceptam : « Et certain est que pour mon delict privé ne pour mon singulier plaisir je ne mis oncques le fardel sur mes espaules de translater le dit livre... » (Hortis, p. 745.)

[2] « Et pource que je suis François par naissance et conversation, je ne scay plainement langaige florentin qui est le plus precis et plus esleu qui soit en Italie, je ay convenu avec ung frere de l'ordre des cordeliers, nommé maistre Antoine de Aresche, homme tres bien sachant vulgar florentin et langaige latin. Cestui frere Antoine, bien instruit en deux langaiges, maternel et latin, pour condigne et juste salaire translata premierement le dict livre des Cent Nouvelles de florentin en langaige latin, et je, Laurens, assistent avec lui, ay secondement converty en françois le langaige

Quae cum ita essent, translatore ad laborem tunc novum et utique difficilem minime parato neque apto, mediocrem fore operis exitum praevideri poterat; et revera *Centum Novellas* a Laurentio translatas summa severitate multi judicaverunt : hic ridicule mutatum, vel potius deformatum Boccacii opus dicit, cum in locum aliquot narrationum aliae subditae sint[1]; ille talem esse translationem, ut stulti tantum eam, immo titulum solum legere velint[2]; alius etiam, a quo aequiorem sententiam exspectavisses, Laurentio objicit multas res, et praesertim saepe laudatam pestis descriptionem, omissas, prologum mutatum, atque observationes quasdam insulsas de moribus in fine cujusque fabulae adjectas esse, ita ut Boccacii opus vix agnoscere queamus[3].

Nos autem quid de his sententiis sentiamus paucis verbis et libere fatebimur : qui judicia modo prolata scripserunt, *Centum Novellas* a Laurentio translatas

latin receu du dit frere Anthoine... » (Cod. fr. 129, f. 3; Hortis, p. 747; is locus a Paulino Paris quoque relatus est, *Les Mss. franç.*, I, pp. 241-242.)

[1] « Boccace n'y est pas reconnaissable, jusque là que, à la place de quelques nouvelles de l'original, le prétendu traducteur en a substitué d'étrangères fort plates. » (La Monnoye, *Bibliothèque française,* II, p. 33.) Qui ea severitate utebatur erga Laurentium ne sciit quidem e tusca in latinam linguam prius translatum esse Boccacii librum, et sic quaedam tituli verba interpretatur : « anciennement l'italien était appelé *il volgare latino.* »

[2] Du Verdier, *ibid.*, III, 126-127, translationem judicavit « de si peu de mérite que... nul de bon esprit ne voudrait la regarder seulement par le titre »; quae verba ad editiones quasdam tantum referuntur, quibus absurdus titulus *le livre de Cameron* aut *le livre Cameron* inscribitur.

[3] A. Hortis, *Studi*, p. 636.

nunquam legerunt! Cujus erroris causas facile ostendemus; simul translatoris nostri opus — imperfectum, esto — non tamen indignum esse quod diligenter inspiciatur, neque a stultis tantum, patebit.

I

Ut de Laurentii translatione aequum facere possimus judicium, documentum quoddam maximi momenti temporum iniquitate desideratur, *Centum Novellae* scilicet latine expressae ab Antonio Aretino, quarum nullum superest vestigium praeter ipsam Laurentii interpretationem. Perquam difficile est igitur discernere quid in hoc communi labore erraverit Antonius, quid Laurentius ; nec confidimus fore ut utrumque plane unquam consequamur. Non omnino tamen operam nos perdidisse arbitrabimur si rectius aestimaverimus qualis reipsa prima haec Boccacii translatio exstiterit.

Ad quam rem dinoscendam haudquaquam prodesse editiones ante omnia monendum est; immo, inter ipsos codices paucos tantum dignos judicamus, quibus fidem tribuamus. Nam, collatis diligenter hujus translationis codicibus qui Lutetiae exstant, duos tantum repperimus in quibus genuina lectio non corrupta sit[1]. De ceteris mox disseremus, sed ea prius

[1] Arsen. cod. 5070, a Guileberto Mettensi transcriptus, de quo vide supra p. 14, et Bib. Nat. cod. fr. 129 qui pluribus locis jam emendatus videtur, sicut mox ostendemus ; cui tamen plurimam auctoritatem confert epistula ad Joannem Biturigum ducem, in eo

inspicienda est lectio qua Antonii et Laurentii opus fidelius refertur, unde translatores constat vestigiis Boccacii diligenter institisse, ab initio usque ad extrema verba, parum callide interdum, concedimus, sed nusquam ea mente ut aliquid vel emendarent vel alioqui mutarent. Nec scriptoris prooemium *(Umana cosa è aver compassione degli afflitti...)*, nec pestis descriptio, nec septem puellarum et trium juvenum concilium in Sanctae Mariae ecclesia novella, nec ea quae, inter fabellarum decades de vita, ludis et dapibus laetae cohortis enarrantur, nec carmina *(ballate)* quae in fine cujusque decadis aut in fabula quadam continentur (X, 7), nec totius libri conclusio *(Nobilissime giovani a consolazion delle quali...)* — quid multa? nihil omittitur.

Quod ad narrationum argumenta pertinet, ne unum quidem repperimus quod *Centum Novellis* alienum sit. Quin etiam, Antonius fabulas quasdam jam tunc in latinam linguam conversas a Petrarca atque a Leonardo Aretino[1] aut ignoravit aut despexit, quibus si usus esset operae parcere potuisset. Antonius ergo religiose officio suo functus est, et quamvis minus eleganter profecto quam Petrarca aut Leonardus Griselidis aut Guiscardi et Gismondae flebiles casus

solo servata, unde conjicitur pulchrum illud exemplar transcriptum esse et venustis picturis ornatum ut duci offerretur. Mirandum tamen videtur in inventario librorum ducis nullum inveniri vestigium hujus libri (L. Delisle, *Cab. des Mss.*, I, p. 66).

[1] Griselidis fabula a Petrarca translata jampridem divulgata erat; Guiscardi autem et Gismondae casus a Leonardo Aretino translati difficile in manus Antonii venisse poterant.

expressisset, fideliorem tamen Boccacii translationem Laurentio tradidit.

Num vero locos illos omisit, vel transferendo mitigavit, in quibus auctor acerbe atque interdum inverecunde clericorum mores descripserat, aut eos qui descriptiones ab honestate remotas continebant? — Inspectis fabulis quae plurimum monachi pudorem aut religionem offendere poterant, illam verbi gratia ubi Judaeus Abraham Romam petiisse dicitur, ibique summi pontificis et cardinalium turpem vitam animadvertisse[1], inhorruisse « fraticellum » non videmus; et quod ad mores attinet, impavida fidelitate jocos minime honestos translatores interpretati, nunc explanaverunt, nunc etiam iteraverunt, timentes scilicet ne quis dulcedinem eorum non satis gustaret[2].

Res igitur et verba fideliter reddiderunt ambo translatores. Arte autem caruere, nec quidquam fere jucundae, petulantis et procacis festivitatis retinuerunt qua Boccacius tantam laudem sibi peperit, idque assecutus est ut in numerum librorum maxime divulgatorum *Decameron* reponeretur. Sed quo modo secus evenire poterat, cum maxima patientia, sollertiaque et arte, maximo etiam ingenio opus esset ut integrae servarentur operis semel atque iterum translati, id est perversi, suavitates?

Artem atque ingenium defecisse in translatoribus

[1] *Decam.*, I, 2.

[2] Vide praesertim titulos fabularum a Laurentio amplificatos ita ut in eis fabulae cujusque sales referrentur (v. gr. titulum novellae I decadis III).

non negamus; non tamen, sicut quidam temere dixerunt, adeo ut totius libri oeconomia mutaretur, aut opus parte aliqua mutilaretur. Sed singulorum verborum saepius non expressa est significatio vera, res ipsae falso intellectae sunt; denique, si particulatim translationem inspexerimus, plurima vitia notaverimus; quorum nunc aliquot exempla proferendi locus est.

De iis erroribus primo loquemur Antonio Aretino adscribendis, qui cum manifesto litteris latinis mediocriter eruditus fuerit, saepius Laurentio sententias transferendas proposuit quibus perspicuitatem defuisse patet :

Bocc. (Pestis descr.) : « Della minuta gente e forse in gran parte della mezzana era il ragguardamento *di molto maggior miseria pieno.* » — Transl. : « *Mais le tres grant regart*[1] *estoit moult plain de misere et de pitié* en la gent menue et en la plus grant partie de la moyenne. » [Quo modo erravisset Laurentius ni Antonius verba *di molto maggior* ad nomen *ragguardamento* referens, sic fere scripsisset : *sed consideratio multo major* (aut *longe maxima?) erat pietate plena...?*]

Bocc. (Prooemium decadis IV) : « *Maravigliosa cosa ad udire,* colui che mai più alcuna (donna) veduta non avea, non curatosi dei palagi... disse. » — Transl. : *Celles oes semblerent merveilleuses* au jouvencel, qui oncques mais aucune d'icelles n'avoit veue... » [Si Antonius scripsisset *Mirabile dictu* vel *auditu*, quisnam hoc epitheton ad puellas vel anseres rettulisset ?]

Bocc. (VI, 10) : « Il mio fante ha in sé *nove cose.* » — Transl. : «... *a merveilleuses choses.* » [Bis repetitus error

[1] *Tres grant* omittitur in cod. fr. 129, non in Arsen. 5070.

Antonio adscribendus est, qui pro *novem res*, scripsit : *novas res.*]

Bocc. (ibid.); ter in eadem fabulae parte repetuntur verba : « la quale aperta trovarono... », sed semel sic intelligenda sunt : « la quale (bisaccia) aperta, trovarono (dentro) in un gran viluppo di zendado fasciata una piccola cassettina. » — Transl. : « *Ils trouverent la besasse ouverte*, et dedans un grant envelopail de soye ils trouverent ung coffret. » [Antonium transtulisse *quam apertam invenerunt* patet.]

Bocc. (Pestis descr.) ; saepius in pestis descriptione auctor verbis *a centinaia*, *a migliaia* usus est; — Transl. : « jusques au nombre de cent, jusques au nombre de mil. » [Antonius videtur transtulisse *ad centum, ad mille.*]

Interdum etiam negligenter et perverse italica quaedam verba legit Antonius :

Bocc. (Prooem. decadis IV) : « benché le donne quel che le Muse *vagliono non vagliano...* » — Transl. : « Et combien que les femmes veulent ce que les femmes veulent ou ce qu'elles ne veulent [1]. » [Manifesto Antonius legit *vogliono, vogliano;* si scripsisset *valent*, *valeant* errare non potuisset Laurentius.]

Bocc. (X, 9 in fine) : « Cotale adunque fu il fine *delle noie* di Messer Torello. » — Transl. : «... la fin *de l'onneur...* » [Pro *delle noie* Antonius legit *dell'onore ;* Laurentio igitur injuria errorem hunc imputaveris.]

Laurentius autem parum perspicuum Antonii stilum, etiam cum vitiosus non esset, negligenter inter-

[1] Haec est codicis Arsen. 5070 lectio, ex qua colligitur Laurentium non nihil fecisse ut ex absurda sententia aliquid tamen significaretur; in codice fr. 129 gravior etiam facta est mutatio, quo melius sensus aliquis videlicet exprimeretur : « Et combien que les hommes veulent ce que les femmes veulent... etc... »

pretatus, prave intellexit; quod si diligentius attendere voluisset multos profecto errores vitavisset :

Bocc. (Pestis descr.): « Tal fu la crudeltà del cielo *e forse in parte quella degli uomini,* che... » — Transl. : « La cruaulté du ciel fut telle et si grant *et par aventure en la partie des hommes,* que... » [Antonius, nec injuria, pronomen *quella* transferendo omiserat : *et in parte forsan hominum;* Laurentius, si parumper se praebuisset attentum, facile significationem percepisset.]

Bocc. (ibid.) ; scriptor veris personarum nominibus uti nolle se declarat, puellarum praesertim, ne invidis argumentum ministret « di diminuire in niuno atto l'onestà delle valorose donne *con isconci parlari.* » — Transl. : « ... de diminuer aucunement l'onneur des vaillans femmes *qui en comptant leurs nouvelles usent de paroles qui semblent moins honnestes.* » [*Minus honestis sermonibus* scripsisse Antonius videtur, quae verba prave Laurentius interpretatus est.]

Bocc. (Prooem. decadis IV): « O son *così fatte* le male cose ? » — Transl. : « *Telles choses* donc sont-elles mauvaises ? » [Laurenti adscribendus error videtur, cum pronomen *tales* cum nomine *res* conjungendum crediderit.]

Non saepius igitur hunc quam illum peccavisse credimus[1], utrumque autem pari reprehensione dignum arbitramur; nam Laurentius interdum, dum obscuram monachi translationem interpretari conatur, longius saepe a Boccacii sententia libens videtur deerrasse :

[1] Saepe utri adscribendus sit error dubium est ; cum verbi gratia *fame* a Laurentio absurde transfertur : *la renommee,* quo modo scire possumus utrum Antonius *fama* pro *fame* legerit, an Laurentius *fama, famam* pro *fame, famem?*

Bocc. (IX, 9, in principio); de Salomone agitur qui prudentiae suae documenta libenter ostendebat « *a chiunque per esperienza ne voleva certezza.* » — Transl. : « Il estoit tres habandonné desmontreur de sagesse *par experience a chacun voulant avoir la certaineté des choses.* » [Pessime translatum esse credimus ab Antonio locum, pejus a Laurentio intellectum.]

Bocc. (IV, 10, statim post finem fabulae) : « Essendo la novella di Dioneo finita, meno per vergogna delle donne risa *che per poco diletto*.... » — Transl. : « Quant finee fu la nouvelle de Dionee, et les femmes pour honte orent un tantet ris pour le compte de la nouvelle *qui escoutee fu en pou de delectacion.* »

Quin etiam haud raro Laurentius quaedam commentandi causa mutavit, more solito, ea mente ut legentibus res magis perspicue proponeret; sed nunc insulsum nunc prorsus falsum commentarium adjecit :

Bocc. (Prooem. decadis IV). « Ora avvenne *come di tutti avviene* che la buona donna passò di questa vita... » — Laurentio non placuit communem illam generis humani sortem hic memorari, et pluribus tantum *(a plusieurs)* hoc accidere dixit.

Bocc. (ibid.) : « Elle son più belle che gli angioli *dipinti* che voi m'avete più volte mostrati. » — Transl. : « ... *paints en nostre chambre.* » [Cella igitur Philippi Balducci, in culmine montis Senarii, picturis ornata erat!]

Bocc. (Pestis descr.) : « Essi il più o da speranza o da povertà ritenuti, nelle lor case... standosi... » [spe profecto pestis effugiendae.] — Transl. : « ... comme *destitués* d'esperance ou contrains de povreté... »

Bocc. (VI, 10); ridiculae orationis a fratre Caepulla dictae haec est conclusio : « Chiunque di questi carboni in segno di croce è tocco tutto quell'anno può esser sicuro che *fuoco*

nol toccherà che non si senta. » — Transl. : « le feu ne le touchera qu'il ne le sente *ne mal ne lui fera qu'il ne garisse a la fin.* » [Aliquid significari ineptiis fratris Caepullae credidit Laurentius, velut ingenui Certaldenses a Boccacio derisi !]

Maximae autem imperitiae datur documentum fabulis illis, ubi populari sermone usus erat Boccacius ut personarum colloquia fideliter exprimeret. Antonius ipse, qui tamen eos locos plane intelligere debuit, aut Laurentium in errorem rapuit[1], aut ut solebat verbum verbo reddidit, ita ut socio suo parvum auxilium praeberet; excusatione igitur nobis dignus videtur Laurentius si absurda multa scripserit[2].

Sed satis mirari non possumus tranquillitatem

[1] Bocc. (VIII, 2) : « L'acqua corre alla borrana. » — Transl. : « L'eaue court a la bourrache. » *Ad borraginem* videlicet scripsit Antonius pro : *ad vallem* ! Forsitan verbis *ad voraginem* usus est, unde erroris originem melius intelligere possumus.

[2] Inter ridicula cognomina quae Venetianae cuidam imposuit Boccacius, unum Antonius tam fideliter transtulit *(donna Mestola)* ut Laurentius gallice eam vocaret *dame cuiller !* (Cod. fr. 129 habet *dame Elisette,* lectionem manifesto emendatam.) — In eadem fabula (IV, 2) Boccacius scripsit : « parendogli terreno da ferri suoi.» Transl. : « Quant il lui sembla avoir trouvé terre habille a employer ses ferremens. » — Cum descripsit servum fratris Caepullae, Boccacius facetis cognominibus usus est : « Guccio Balena, Guccio Imbratta, Guccio Porco..., il quale era tanto cattivo che egli non è vero che mai Lippo Topo ne facesse alcun cotanto. » — Transl.: « Gucte baleyne, Gucte touillon, Gucte pourceau, qui estoit si mauvais que lippetope ne fut oncques pareil. » Ceterum in eadem fabula (VI, 10), multos locos facete absurdos Laurentius incolumi gravitate transtulit : « I' vidi volare i pennati... » ; transl.: « la ou je vis voler les pennates », et paucis infra versibus : « gli feci copia delle piaggie di monte Morello in volgare, e d'alquanti capitoli del Caprezio... » ; transl. : « je lui donnay en langaige vulgaire la copie des plaies de Montmorel, et d'aucuns chappitres de Capricee » (!).

animi et securitatem a translatore demonstratam cum tot et tantas ineptias narraret impavidus! Aretinum monachum urgere poterat interrogando et quodam modo cogere ut quid a Boccacio significatum intelligeret aperte manifestaret; acceptam contra ab eo latinam translationem, etiamsi interdum sensu omnino careret, nunquam in gallicum sermonem convertere recusavit. Tres annos conjuncti vixerunt Antonius et Laurentius, hospites ambo divitis viri Bureau de Dampmartin, neque illi qui gallice opus italicum transferebat in mentem venit discere elementa linguae italicae, aut saltem ab Antonio, cum quo latino sermone uti poterat, quaedam exquirere de illis locis quos maxime obscuros aut omni significatione destitutos inveniebat!

Nomina etiam personarum aut locorum semper Antonius latine, atque iterum Laurentius gallice transtulit, ita ut saepius italicam formam nominum agnoscere arduum sit : qui gente « Claromontensi » oriundus erat, a Laurentio dicebatur « Cleremontois[1] ; pagus quidam Etruriae, nomine « Altopascio », fiebat « S[t] Jacques de Haut Pas[2] ». Non tamen causam explicare sciit translator cur « Cepparello da Prato » a

[1] *Decam.*, IX, 1.

[2] VI, 10. Ceterum pravissime ab Antonio translata esse nomina ipsa maxime divulgata patet, nam *Tito*, *Ciacco*, apud Laurentium facti sunt *Titon* (X, 8), *Ciacon* (IX, 8); praeterea : Neri = Nerin; Forese = Foresin ; Berto di Maso = Berte de Masse. Quod ad locorum nomina attinet, pauca exempla satis erunt : Mugello = Musellon (VI, 5); Prato = le Pré (VI, 7); Lunigiana = un terroer appelé de Lune (I, 4); Friuli = Forgueil (X, 5); Anguersa = Angiers (II, 8), etc...

Gallis vocatus esset « Ciappelletto [1], » et, vice versa, in gallica transcriptione significatio nova nomini cuidam accessit quod, italice, interpretatione caret : « Grimaldi = Grimaulx [2]. »

Sed ut aequum de Antonii et Laurentii opere judicium feratur, nihil aptius esse arbitramur, quam si ante oculos legentium specimen quoddam posuerimus ipsius translationis; quocirca miserabilem Simonae fabulam (IV, 7) totam hic edere non inutile visum est, secundum lectionem optimorum codicum [3].

En nostre cité Florence nagueres fu une jouvencelle assez belle et gente selon la condicion de son estat; et elle, nommee Simonne, fut fille d'un povre pere. Combien que elle feust contrainte gaigner son pain au labour de ses propres mains, et que en filant laine elle gouvernast sa vie et fournist soy de vitaille, toutesvoies [4] elle ne fut de si povre courage qu'elle n'osast recevoir ne hosteler amour en sa pensee. Amour longuement avoit monstré soy vouloir entrer en la pensee de Simonne par les signes et paroles d'un jouvencel qui pas n'estoit de plus grant valeur

[1] « Les François qui ne sçayvent quoy signifie Caperel, ains cuident selon leur langaige que *Capellet signifie ung cercle de roses* ou autres fleurs que ilz appellent chapeau » (I, 1, in principio).

[2] Bocc. (I, 8) : « Per la qual cosa (sc. la sua avarizia) e meritamente gli era de'Grimaldi *caduto* il soprannome, e solamente Messer Ermino Avarizia era da tutti chiamato. » — Transl. : « Pour cestuy vice a bon droit *lui advint* le surnom de Grimaulx, et seulement sire Erminian estoit nommé ou pays dame Avarice. » (*Sic !*)

[3] Lectionem codicis Arsen. 5070 praecipue sequimur, et codicis fr. 129 lectionem hic referemus eis tantum locis qui codicem illum jam emendatum esse demonstrant; non tamen necesse visum est omnes varias lectiones prodere.

[4] Brevior est et elegantior periodus in fr. 129 : « ... fut fille d'un povre homme contrainte gaignier son pain au labour de ses propres mains en fillant layne. Mais toutesvoies... »

qu'elle, et lequel aux fileresses portoit laine a filer pour un sien maistre drappier. Sitost que la fille oult receu amour en soy par le plaisant regart du jeune homme qui icelle aimoit, et qui avoit nom Pasquin, elle moult le desira ; et sans lui chaloir pou d'autre chose[1], a chacun fil de laine filee, et a chacun tour de son fuseau elle faisoit mil souspirs plus ardans que n'est feu, quant il lui souvenoit de celui qui lui avoit baillé celle laine a filer. Le jouvencel Pasquin d'autre part devint cusançonneux que Simonne filast bien la laine de son maistre, ainsi comme se la laine seule et non autre que Simonne filoit deust parfaire l'estain du drap, et a filer il la cusançonnoit plus fort et plus souvent qu'il ne faisoit les autres fileresses. Or advint[2] que de ces deux amants l'un prist plus hardement que l'aultre n'avoit accoustumé, car autrefois par avant paour et honte le tenoit, et tant advint que eulx deux ensemble se joignirent pour le plaisir de chacun. Ceste chose fut a chacun si agreable que non pas seulement l'un ne attendoit pas que l'autre le semonist d'amour, mais chacun d'eulx se avançoit de semondre l'autre.

Tandis que de jour en jour ils perseveroient et tousjours plus s'embrasoient l'un de l'autre, une fois Pasquin dist a Simonne que a toutes fins il vouloit qu'elle trouvast maniere de venir en ung jardin auquel il vouloit mener icelle, afin que illec peussent estre ensemble plus aisiement et a mendre suspicion. Simonne respondi que bien lui plaisoit la chose, et pour ce elle, en un dimenche, donna entendre a son pere que apres disner elle vouloit aller a Saint Coq[3] pour gaigner le pardon avec une sienne compaigne appellee Lagine. Simonne doncques alla en ung jardin que Pasquin lui avoit enseignié, et illec trouva lui avec ung sien com-

[1] Perverse transfertur sententia : « e non attentando di far più avanti. »

[2] Hic omittitur aliquid : « Perché l'uno sollicitando e l'altra giovando di essere sollecitata, avvenne... » vide etiam reliquam periodum.

[3] « San Gallo. »

paignon que l'en nommoit Pucie [1], mais autrement on l'appelloit Stramba [2]. En celle partie du vergier ou Simonne et Pasquin allerent, estoit une tres grande et belle plante de saulge. Pres d'illec seirent et longuement soulacierent, et moult entre eulx parlerent d'un disner qu'ils entendoient faire en ce jardin en temps a ce convenable [3]. Pasquin tourna soy devers la saulge et de icelle cueilli une feuille, a quoy il commença froter ses dens en disant que la saulge moult bien nettoioit les dens de toute celle ordure qui en la bouche demeure a cause de viandes [4]; et apres que Pasquin continua en frotant par aucun pou ses dens [5], il retourna a parler du disner devant dit, et gueres ne tarda en poursuivant sa parole commencee qu'il commença changier visage et consequemment perdre la parole et la veue, et finablement mourut.

Simonne voyant le soudain cas commença crier et plourer et huchier Stramba et Lagine, qui ambedeux soudainement accoururent. Eulx voyans Pasquin, non pas seulement ja mort, mais tout enflé et plain de taches noires par tout le visage et le corps, qui soudainement apparissoient, Stramba s'escria : O malle femme, tu as empoisonné cest homme! — Pour le hault cry qu'il fist, les voisins le oyrent, qui au cry accoururent, et eulx qui trouverent Pasquin mort et enflé, et oyrent Stramba soy garmenter et accuser Simonne en lui disant que frauduleusement elle eust [6] empoisonné Pasquin, et si trouverent Simonne

[1] « Puccio. »

[2] Hic quaedam omissa sunt, non tamen, ut videtur, de industria; nam aliquid ad perspicuitatem narrationis conferebat periodus quae his verbis incipit : « E quivi fatto un amorazzo nuovo tra lo Stramba e la Lagina... »

[3] Infideliter hic exprimitur sensus verborum *ad animo riposato*.

[4] « Molto bene li nettava d'ogni cosa che sopr'essi rimasa fosse dopo l'aver mangiato. » Quam eleganter hic Laurentius Boccacii sententiam interpretatus sit, legentibus judicandum relinquimus !

[5] Cod. fr. 129, elegantius: « apres que Pasquin oult continué aucun pou a froter ses dens. » Quae lectio per emendationem ab altera manare nobis videtur.

[6] Cod. fr. 129 : « elle avoit »; Bocc.: « avesse ».

(pour la douleur du cas qui lui avoit osté son ami elle estoit presque hors du sens et ne savoit quelle contenance faire), ils reputerent tous la chose estre telle comme Stramba disoit. Pour tant les voisins[1] prindrent Simonne fort plourant et icelle menerent au palais du bailli. Illec furent Stramba, et Atticiat[2] et sa femme[3], et les compaignons de Pasquin[4], qui survenus estoient, desprierent le juge qu'il enquist du cas. Il sans demoure disposa soy a enquerir le fait, et, car il ne peust par inquisition trouver que Simonne en celle chose eust aucune malice fait, ne soy estre coulpable[5], il voult en la presence d'elle veoir le corps mort, et la maniere et le lieu que Simonne lui avoit recités, car par ses paroles il ne peust mie bien comprendre la besoigne.

Cestui juge doncques fist soy mener au lieu ou le corps de Pasquin gisoit encore mort et enflé comme une boutaille[6], et pareillement y fist admener Simonne[7]. Le juge esbahi du mort interrogua comment la chose estoit advenue. Simonne adont approuchant au pié de la saulge racompta au juge toute la chose par ordre et proprement[8], et afin que la fille donnast au juge à entendre plus clerement le cas, elle fist ainsi comme Pasquin avoit fait, et a une des feuilles de celle saulge elle frota ses dens. Stramba

[1] In Boccacii fabella vicini negotio non se immiscent; ea res, a Laurentio adjecta, parum feliciter videtur inventa.

[2] « Atticciato. »

[3] Boccacius scripsit « il Malagevole », cognomen scilicet alius amici; quo modo ab Antonio et a Laurentio « il Malagevole » factus sit « et sa femme », non liquet. Verba « et sa femme » omissa sunt in cod. fr. 129.

[4] Bocc. : « compagni di Pasquino » ; quae verba nominibus antea expressis apposita esse translatores non viderunt.

[5] Cod. fr. 129 melius (post emendationem scilicet) : « et pource que il ne peust la jouvencelle trouver avoir fait faute, il voult... »

[6] « Come una botte. » — In cod. fr. 129 sic legimus : « mort et moult enflé », et illec aussi fist admener Simonne.

[7] Verba « senza alcun tumulto » omissa sunt.

[8] « Par ordre et proprement » desideratur in cod. fr. 129.

et Atticiat et sa femme[1] et les autres amis et compaignons de Pasquin, estans devant le juge, despriserent et reprouverent toutes les choses dictes et faictes par Simonne comme frivoles et vaines. Les dessus ditz accuserent a grant instance la mauvaistié de Simonne, et autres choses ne demandoient sinon que le feu esprins punist la grande iniquité de Simonne[2]. Mais la malheureuse Simonne qui, pour la douleur de son ami perdu et pour la paour du tourment que Stramba requeroit contre elle, et aussi pour ce que froté avoit ses dens de saulge[3], Simonne chey en celui mesme peril de mort ouquel paravant Pasquin estoit encheu, de quoy ceulx qui a la chose furent presens tres fort s'esmerveillerent.

O bieneurees ames de deux amans ! Entre vous deux en ung mesme jour nasqui une amour fervant, et une cruelle mort vous y mist la fin[4]. Vous deux amans estes plus bieneurés se vous estes allés ensemble en ung mesme lieu. O tres bieneurees ames, se en l'autre monde les hommes se entraiment, et se vous entramez vraiement ainsi comme en ce monde vous avez amé l'un l'autre. Mais moult plus amplement bieneuré est le courage de Simonne, quant au jugement de nous qui sommes demourez apres celle de qui Fortune ne souffri pas que son innocence[5] chaist sous le tesmoignage de Stramba et de Atticiat et d'un drapier par aventure injuste, ou de plus villains hommes[6]; ains trouva Fortune une voye plus honneste a

[1] Hic tamen Boccacius non loquitur de isto « Malagevole ».

[2] Ultima pars sententiae, a verbis « et autres choses... » desideratur in cod. fr. 129.

[3] Verba « ristretta stava » omissa sunt.

[4] Hic majore libertate translatores usi sunt.

[5] « Son ignorance ou son innocence », in duobus nostris codd. legimus ; verba illa incertum fuisse demonstrant Laurentium quomodo Antonii translationem interpretaretur.

[6] E cognomine « Malagevole » hic novus error exstitit ; Bocc. : « ... e del Malagevole, forse scardassieri o più vili nomini. » Antonius latine transtulerat haec verba quasi Boccacius scripsisset : « e forse del (d'un) malagevole scardassiere o di più vili nomini...»

Simonne pour soy delivrer, en pareille maniere de mort comme fist son ami, et pour oster de infamie les deux qui autrement pouoient estre mal soupçonnés d'amours deshonnestes[1]. Et avec ce Fortune disposa que la femme ensuivist l'ame de son amant que tant avoit amé.

Le juge adont tout esperdu pour .celui cas arresta soy longuement, sans savoir quoy il deust dire neant plus que ceulx qui avec lui estoient. Et quant le juge retourna en meilleur sens : « Advis m'est, dist-il, que la plante de ceste saulge est venimeuse, et si est le venin contraire a la saulge[2]. Mai affin que la saulge ne puisse semblablement offendre autre homme ou femme, je veuil qu'elle soit trenchee jusques aux racines et qu'elle soit mise au feu. » Celui qui gardain fu du jardin fist la chose en la presence du juge, car il coupa la plante de la saulge[3], et la cause de la mort des deux meschans amans[4] lors apparut ; car sous les racines de la saulge estoit un bot[5] de grandeur merveilleuse. Si penserent le juge et les autres hommes et femmes que la saulge estoit devenue venimeuse pour la longue demeure du crapot[6], pres duquel, car aucun n'osoit approuchier, l'en mist a l'environ de lui buches, espines, et la saulge tranchee, qui ardirent le bot et fut ramené en cendre[7].

Ultima pars sententiae (a verbis *et de Atticiat*...) in codice fr. 129 desideratur.

[1] Sic Laurentio verba : *a svilupparsi della loro infamia* interpretari et commentari placuit.

[2] « Il che della salvia non suole avvenire. »

[3] Verba « car il coupa la plante de la saulge » omissa sunt in cod. fr. 129.

[4] « De'due miseri amanti. » Epitheton « meschans » omissum est in cod. fr. 129.

[5] « Una botta » ; cod. fr. 129 : « un crapoult. »

[6] « Dal cui venenifero fiato avvisarono quella salvia esser velenosa divenuta. »

[7] Periodus sic mutata est in cod. fr. 129 : « ... pres duquel aucun n'osoit approuchier. Et par le commandement du juge l'en mist a l'environ du crapoult buches espines, esquelles avec la saulge on bouta feu, et le tout fut ramené en cendre. »

Et ainsi prist fin le proces du seigneur juge[1] au regart de la mort du miserable Pasquin avec s'amie Simonne. Eulx deux ainsi enflez comme ils estoient, furent enseveliz en l'eglise de Saint Pierre[2] dont ils estoient paroissiens. Et a leur enterrement furent presens et aidans[3] Stramba et Atticiat et Gucce Embrate et maintz[4] autres hommes et femmes de nostre cité Florence.

Aliud etiam translationis exemplum proferre placet, alterum scilicet documentum fidelitatis a Laurentio demonstratae, cum carmina italica Boccacii versibus gallicis reddere tentavit. Nimis profecto superbum et ambitiosum se Laurentius praestitit hoc sibi arrogando, qui ne in soluta oratione quidem Boccacii fabellas feliciter exprimere valuerat; sed fidelitatis gratia arduum inceptum videtur iniisse, et minimam quamque partem operis versibus conscriptam in gallicos versus transferre voluit[5]. Rem ei non prospere successisse facile credet unusquisque ; his carminibus sane effici non potest ut Laurentio lau-

[1] « Il processo di Messer lo giudice »; hic cod. Arsen. 5070 lectionem habet minus fidelem : « le proces commencé par le juge. »

[2] « Nella chiesa di San Paolo »; inconsulte nomen sancti ecclesiae patroni mutatum credimus.

[3] Parum fideliter ac feliciter redditur haec sententia : « dallo Stramba, etc... furono... seppelliti. » Verba « et aidans » omissa sunt in cod. fr. 129.

[4] Cod. Arsen. 5070 : « et de Gucce Embrate et de maintz... », vestigium prioris cujusdam translationis fidelioris : « dallo Stramba e dallo Atticciato e da Guccio Imbratta e dal Malagevole... » Hic tamen « il Malagevole » factus est « maintz autres hommes et femmes de nostre cité Florence ». In cod. fr. 129 desiderantur nomina « Atticiat et Gucce Embrate ».

[5] Decem scilicet carmina (*ballate*), unum in fine cujusque decadis, atque unum in fabella X, 7, praetera pauca fragmenta : VI, 4, cum Chichibius coquus femur gruis abnuit puellae a se amatae,

dem « poetae eximii » ab aequali quodam concessam libentes et nos tribuamus [1]. Ultimum tamen libri carmen hic transcribendum censemus, nam fidelius quam quodlibet aliud sententias Boccacii refert, et quamquam in eo non omnia perspicua neque elegantia sunt, pleraque saltem intelliguntur [2] :

S'amour estoit sans jalousie,
Femme n'est que moy plus joyeuse.

Se jeunesse et bel amant
S'a femme vertu puet souffire,
Sagesse, meurs et hardement,
Beau parler et attournement,
Je tous ces dons en lui remire
Qui est ma santé vraiement [3],
Et qui d'amour m'a si saisie
Que plus qu'autre me tiens heureuse.
S'amour estoit sans jalousie,
Femme n'est que moy plus joyeuse.

cantitat: *voi non l'avri da mi, voi non l'avri da mi*, unde Laurentius quattuor versus deprompsit:

Vous n'aurez dame Brunette
Ce que demander vous oy,
Vous ne aurez de par moy
La cuissette.

In nov. X, 6, distichon sic redditur:

Tant suis d'amour espris
Que homs ne pourroit dire;
L'amour est de hault prix
A qui mon cueur je tire.

Vide praeterea in nov. VI, 10, omnes Gucii Imbrattae virtutes a fratre Caepulla ita memoratas ut bina verba eumdem sonum in cadendo reddant.

[1] Vide supra, p. 4.

[2] Codices jam laudati, Arsen. 5070 et cod. fr. 129, soli carminum omnium lectionem tolerabilem praebent.

[3] Consonantiae in sex primis versibus hujus strophae aliter dispositae sunt atque in ceteris strophis.

Car ailleurs femme que je voy
Ainsi est plus sage que moy ;
J'ai paour et tremble tous diz,
Et mes pensers je tourne au piz.
Car, contre ce que je desire,
Le seul bien pers a quoy je tire.
Espoir n'ay ne cause que rie [1],
Et suis com femme malheureuse.
S'amour estoit... etc...

Si je savoye en mon seigneur
Si grant foy comme est sa valeur,
De luy jalouse ne seroye.
Mais je sçay que se femme proie
Aucun, tantost il se consent;
Pour ce, pou me fie en amant.
Plus crains mon ami que ma vie
Perdre, tant en suis angoisseuse.
S'amour estoit... etc...

Je donc pour Dieu chacune prie
Qu'a moy soubstraire ma partie
Aucune femme ne s'essaie ;
Car se par motz ou par guinaie [2]
Femme mon ami me toloit
A mon sceu, elle ploureroit
Son oultrage, mais que folie
Trot grant ne me feist furieuse.
S'amour estoit sans jalousie,
Femme n'est que moy plus heureuse.

[1] Codd. : « cause de rire » ; emendare versum non dubitamus, inspecta ratione qua in toto carmine versus consonant ; ceterum haec secunda stropha infelicissime redditur.

[2] Quod verbum non invenies apud Godefroy, quamvis non hoc loco tantum a Laurentio usurpatum sit. Quid sibi velit satis manifeste demonstrat Boccacii versus :

Che con parole o *cenni o blandimenti.*

In priore librorum *De Casibus* translatione legimus (l. I, c. 18) :

Quid de *Centum Novellis* a Laurentio de Primofato gallice translatis judicandum arbitremur, nunc fortasse melius apparet. Unum tamen superest quod omittere nolimus: pauca enim dicere juvat de excursibus illis quos Laurentius, more solito, explanandi et commentandi causa Boccacii libro adjecit. Multo quidem pauciores et minoris momenti sunt quam quos in libris *de Casibus* invenimus, nam in *Centum Novellis* raro occurrit mentio factorum et nominum quae ad historiam pertineant, rarius etiam locum habet translator disserendi de virtutibus quae maxime probum virum et praesertim christianum decent. Sed quo pauciora exstant in *Centum Novellis* pravae istius consuetudinis vestigia, eo magis hic colligenda sunt, ut Laurentii modestia in hac translatione plane ostendatur.

Primo, ut minora quaedam taceamus[1], nullam

« Les femmes... ont apperceu... de la quele partie de l'ueil les hommes sont a regarder, par quel mignot guynaiement les hommes sont a attraire », ubi alii codices hanc quoque lectionem praebent: *guygaiement* (guygnaiement ?) vel *guignement*, quod in altera translatione Laurentius correxit : « en guignant ». Boccacius autem hic scripserat : « Sensere (mulieres)... qua oculi parte prospiciendi sint homines, qua lubrica gesticulatione trahendi. » Inde colligitur praeter verba *guigner*, *guignement* tunc in usu quoque fuisse *guignayer*, vel *guinayer*, *guinaie*, *guinaiement*, quibus blanditiae gesticulationesque significarentur.

[1] Bocc. (X, 9, ultima verba) : « Cotale adunque fu il fine delle noie di Messer Torello e di quelle di sua cara donna, e il guiderdone delle lor liete e preste cortesie » ; Laur. : « Telle doncques fu la fin de l'onneur (vide supra, p. 72) et courtoisie que sire Thorel fist au souldan et aux siens, et de l'honneur et prouffit que fist le souldan a sire Thorel, et telle aussi fu la fin des nobles courtoisies d'iceulx deux (fr. 129 : la fin des nopces...) etc... » Sequuntur etiam aliquot sententiae de beneficiis ; vide infra p. 89, n. 1. —

Laurentius praetermisit occasionem commentandi ea verba quae, in paucis fabulis, res quasdam historicas commemorant aut ad locorum descriptionem pertinent :

Bocc. (I, 9) : « Dico adunque che ne'tempi del primo re di Cipri, dopo il conquisto fatto della Terra Santa da Gottifrè di Buglione... » — Laurentius ante novellam ipsam haec adjecit : « Une ysle est ou pays de midy maintenant nommee Chippre ; cestui nom [lui] fut anciennement donné du nom d'une cité d'illec jadiz nommee Cyprus, et qui paravant fut appellee Paphos... (sequuntur pauca de situ insulae et de metallis quae in ea inveniuntur ; prosequitur postea Laurentius :) En ceste ysle depuis pou de temps passé regna ung roy premierement nommé Guiot de Lisignan en Poictou. Apres finee la bataille que Godeffroy de Buillon, duc de Lorraine, fist ou pays d'oultremer, cestui Guiot par armes conquist et posseda le royaume de Cippre... » Sequitur novellae summarium.

Bocc. (III, 2) : « Agilulf re de' Longobardi, sì come i suoi predecessori in Pavia, città di Lombardia, avevan fatto, fermò il solio del suo regno. » — Laur : « Les Lombars anciennement orent propres roys qui en compassant les lieux de Lombardie esleverent leur siege et leur court en la cité de Pavie, comme celle qui est la plus aisee entre plusieurs citez du pays, ainsi comme est Paris au regard de toute France. Entre les roys lombars fut ung appellé Geluse. Il, selon la coustume de ses ancesseurs, tint son siege et sa court a Pavie, qui est assise sur le Tisin. »

Bocc. (IV, 3): « le due nate ad un parto » ; Laur. : « les deux estoient jumelles, c'est a dire conceues et enfantees ensemble. » — Non raro Laurentius nomina attribuit personis quae apud Boccacium nullo nomine distinguebantur : I, 6 « Jehan Doré » et « Judas Doublet »; I, 5 « dame Agathodine »; IX, 6 « Nicolose », nomen quod in novella praecedente invenerat translator; V, 9 « Jehanne de Beauvis », etc...

Quae de locorum descriptione urbiumque situ adjecit Laurentius nobis fidem faciunt eum, qui ab Antonio nihil quaesivit quo melius Boccacii sententias intelligeret, ab eo contra nonnulla percontatum esse de geographia[1] aut de quibusdam civilibus institutis :

Bocc. (III, 5) : « Fu in Pistoia... un cavalier... il quale dovendo andar podestà di Milano... » ; Laur. : « Toscanne est une tres noble et tres ancienne province du pais de Italie, qui contient quelques nobles et riches citez entre lesquelles est une nommee Pistoye... Or advint que selon la coustume de Italie, pour ce que les bailliz, prevostz, juges et autres officiers de justice doivent estre prins de loingtain et estrange pais, cestui chevalier fut esleu et mandé de par ceulx de Milan, une cité de Lombardie, pour estre bailli d'illec et pour y gouverner la justice temporele par six mois entiers. »

Semel tantum Laurentius res quasdam a Boccacio narratas mutavit aut saltem ita disposuit ut legentium animos callida quadam novitate moveret, in descriptione scilicet stratagematis cujusdam quod Tunetis regi Martucius Cubitus proponit (V, 2)[2]. Semel de-

[1] Bocc. (IX, 6) : « Nel pian di Mugnone » ; Laur. : « ou plain pais gisant environ la riviere de Muguon (sic) assez pres de Flourence. » — Bocc. (I, 5) : « La Marchesa di Monferrato... » ; Laur. : « Dame Agathodine marquise de Montferrant qui est ung ancien et fort chastel en Pymont... » ; vide praeterea quae dicuntur de situ Genuae (I, 8), de « Bologne la grasse » (I, 9), etc...

[2] Laur. : « Il convient de par vous commander secretement a tous hommes de trait cautele de bataille, qui pour vous combatront, que pour leurs arcs ils facent cordes plus deliees et subtilles que on ne souloit faire communement. Et afin que la roideur et vertu des cordes ne soit mendre que paravant, les cordiers useront de chanvres et lins meilleurs et plus affinez. Et consequemment les ouvriers au bout des flesches feront osches adjustees et

nique adeo praecepta de moribus aucta sunt ut fabulae forma et significatio prorsus corrumperetur[1]. Id in brevissima omnium Boccacii narrationum evenit, — et Laurentio eam ipsam brevitatem incitamento fuisse arbitramur — in qua mulier quaedam, a Vasconia oriunda, talibus verbis ignavum Cypri regem allocuta precatur, aut potius precando deridet, ut illum turpis negligentiae injustitiaeque poeniteat (I, 9). Cyprium civem hic finxit translator de istius regis indole optimique regis officiis cum illa muliere diffusum sermonem habuisse, immo velut in contione disseruisse[2]. Longior est ejus oratio quam ut hic tota referatur; digna tamen videtur quam saltem commemoremus, quoniam in ea plane agnoscere possumus Laurentium illum qui pridem, cum duci Joanni libros *De Casibus* gallice translatos offerret, in epistula ad eum missa virtutes illas quae maxime principes decent extollere, vitia contra quibus saepius inficiuntur nobiles damnare ausus erat[3].

convenables aux cordes. Et quant aux arbalestres, les ouvriers feront en la noix plus large ouverture, et selon celle largeur sera en vos arbalestres le fust plus gros au bout des viretons et dondaines dont vos gens useront. »

[1] Saepius enim pauca verba, in conclusione, addebat Laurentius, haec, verbi gratia, in fine novellae V, 9 : « Car povreté et travail donnent a l'homme bon entendement et adviz », aut illa, gravioris momenti, quae invenies in fine nov. X, 9 : « Maintz hommes s'efforcent faire cortoisies et honneurs semblables a celles de sire Thorel et du souldan, mais combien qu'ilz aient assez de quoy, toutesfois ils font honneurs et largesses si mal... etc... »

[2] Boccacii periodus unde Laurentius materiam sumpsit orationis sic incipit : « Detto le fu per alcuno che la fatica si perderebbe perché egli era di sì rimessa vita e da sì poco bene... »

[3] Haec verba, exempli gratia, quae ex novella I, 9 a Laurentio

II

Centum Novellarum gallicam illam translationem inaudita et iniqua severitate, ut diximus, plures judicaverunt; cujus vitia, multa sane et magna, non dissimulanda esse censuimus. Eam tamen diligenter confectam esse neque omnino infeliciter patet, praesertim cum difficultates in quas incurrebatur respicimus; immo fidelius *Centum Novellas* quam ipsos *De Casibus* libros Laurentium interpretatum esse arbitramur. Novum autem atque arduum aggredienti laborem graviora obstiterunt, inter quae unum saltem perrumpi non poterat: translatori scilicet mediocris erat earum rerum intelligentia quae ad Boccacii artem, ad *Centum Novellarum* significationem novitatemque pertinebant. Eo libro parum ipse delectatus est; non mirum igitur si aequales labore suo parum delectaverit. Sed vehementer erraret quicunque aut Laurentio aut rudi atque inepto socio Antonio culpam imputare vellet, nam nondum tempus aderat cum in Gallia *Centum Novellae* plausum atque approbationem valerent excitare.

Codices hujus translationis longe pauciores exstant quam qui libros *De Casibus* inter Gallos divulgave-

aucta decerpimus, ex Boccacii libris *De Casibus* videntur esse translata: « O monstre d'homme ! o ydole de roy pusillanime, qui plus que autre homme doit estre fort et magnanime par soy non trop eslever en prosperitez, ne soy trop abaissier en adversitez mondaines. »

runt[1]. Sed rectius etiam intelligimus quam levi momento a librariis lectoribusque *Centum Novellarum* nugae aestimatae sint, cum varias codicum lectiones conferimus. Duo enim codices tantum, ut jam diximus, satis fideliter, non tamen omnino similiter, Laurentii opus referunt[2]. Alius autem codex, non multo posterius transcriptus, diligentissime exaratus et crebris picturis ornatus, venustissimis plerisque, etsi non semper castis[3], graves mutationes praebet, inter quas haec praesertim commemoranda est: pro ultima libri narratione subjicitur illa quam latine Franciscus Petrarca de constantia Griselidis libere conscripserat, potius quam a Boccacii opere transtulerat. Quam Petrarcae fabulam a Laurentio in gallicum sermonem non conversam esse constat; nam hanc translationem, ab amanuensi quodam in *Centum Novellas* insinuatam, separatim invenimus in multis codicibus vetustisque editionibus, sine translatoris nomine, et Petrarcae plerumque, non Boccacio, adscriptam[4].

[1] Lutetiae *Decameron* gallice legitur in sex tantum codicibus : Bib. Nat. fr. 129, 239, 240, 1122, 12421 ; Arsen. 5070. Breve quoddam ejusdem translationis fragmentum exstat in archivo provinciae quae Altae Vigennae nomen habet. Londinii codex unus servatur translationis nostrae, Brit. Mus. 19, E, I.

[2] Arsen. 5070 ; Bib. Nat. fr. 129. Ex paucis variis lectionibus supra prolatis (pp. 77 et seq.) colligitur codicem fr. 129 emendatiorem esse ; sed in eo jam quaedam omissa sunt. Codex Arsen. 5070 contra priscam translationis formam fidelius refert.

[3] Bib. Nat. fr. 239.

[4] Bib. Nat. fr. 1165, 1505, 24434; Arsen. 2076; Gratianopoli, 871, etc... — In codice Arsen. 2076 hic titulus legitur : « Du commandement et soubz la correction de mon maistre et a l'exemplaire des fames mariees et toutes autres j'ay mis, selon mon advis et entendement, de latin en françoys l'histoire qui cy apres

Praeterea in eodem codice desideratur stropha una carminis decimi, carmen octavum totum omissum est, simul atque octavae decadis conclusio et nonae initium [1]; ultima denique octavae decadis novella adeo coartata est ut a Boccacii narratione plurimum discrepet [2]. Cur haec fabula scribis displicuerit ignoramus; sed omnino omissa est in alio codice, ita tamen ut plura folia vacua, ejus loco, librarius reliquerit [3]. Quid mirum si locum vacuum mox alius amanuensis supplere voluit, qualibet proxima fabula usus, inepta et inurbana [4] ? An quid ob eam causam Laurentio crimini dari potest?

Neque ea sola damna translatio jam passa erat: omnia enim carmina, praeter primum et quartum,

s'ensuyt de la constance et patience merveilleuse d'une feme, laquelle histoire translata de lombart en latin un tres vaillant poete qui fut appellé François Petrarch, dont Dieu ait l'ame. » Hujus translationis octo editiones memorat Brunet. Alia etiam ejusdem fabulae gallica translatio, paullulum diversa, invenitur in codicibus fr. 1190, 2201, Arsen. 2687 et 4655.

[1] Inter ultimam octavae decadis novellam et primam nonae nihil in hoc codice invenimus, nec tamen ullum folium avulsum esse constat.

[2] *Decam.*, VIII, 10; haec sunt ultima verba novellae secundum lectionem codicis fr. 239 (in codd. fr. 129 et Ars. 5070 tantum integra legitur): « elle doubta estre trompee, et en soy esmerveillant fist lever les serrures et trouva les bouteilles pleines d'eaue de mer et un peu d'uille par dessus, et les bales pleines d'estoupes, et brief que tout ce qu'il avoit laissié ne valoit pas deux cens florins. Et ainsi trouva que aulcuns autres savoient aussi bien tromper comme elle. »

[3] Bib. Nat. fr. 1122, qui Joannis Aurelianensis fuit (Dupont-Ferrier, *op. cit.*, p. 59).

[4] Bib. Nat. fr. 240, quem a codice fr. 1122 transcriptum esse constat; ceterum in hoc descriptionem pestis desiderari hoc habet causae quod plura folia in principio avulsa sunt.

deerant; praetermissae quoque erant partes illae operis quibus singulae novellae et novellarum decades connectebantur, ita ut simul varium et unum fieret opus; narrationes ipsae non coartatae solum, sed mutilatae, interdum omni sensu destitutae[1].

Laurentii laborem igitur paullatim corruptum et deformatum esse ex ipsa codicum comparatione colligimus. Sed absoluta jam et quasi perfecta translationis depravatio apparet in prima libri typographica editione quam clarus Antonius Vérard, die XXII Novembris, anno 1485 in manus hominum dedit. De typographi illius fide, cum aliena opera ederet, paucis jam locuti sumus, qui Laurentii nomen tacuit aut saltem occultavit dum libros *De Casibus* ab eodem translatos typis mandat[2]; tunc saltem integrum opus transcribendum curaverat. Nunc, fatemur, translatoris nomen in subscriptione libri legebatur; sed opus ipsum ita mutatum, perturbatum, misere laceratum erat, ut Laurentius aliena culpa plecteretur[3]! Hoc enim confirmare non dubitamus, severissima scilicet judicia de Laurentii translatione pronuntiata vix satis esse si in Antonii Vérard editionem convertantur.

[1] Vide praesertim novellam X, 7: carmen quod ea continetur omissum est cum reliqua narratione (plus dimidio); novella II, 4, non inter brevissimas numeranda, in XXII scripturae versibus coartata est (cod. fr. 240).

[2] Vide supra, p. 60.

[3] Titulus ridiculus *Cameron* Antonio Vérard non adscribendus est, sed editoribus Michel Lenoir (1521) et J. Petit (1534), etc...; jam in codicibus inferioribus (fr. 239, 240) legimus separatim *de cameron*. Ridicula etiam subscriptio alterius editionis Antonii Vérard (s. a.) errorem divulgavit eximium: latine scilicet a Boccacio scriptas fuisse Centum Novellas!

Vehementer autem erret, si quis, editoris excusandi causa, credat ei ante oculos fuisse codicem quemdam corruptum, magis etiam corruptum quam quos supra breviter descripsimus ; nam in editione coartatos invenimus plures locos in illis omissos[1]. Utcunque res sese habuit, Vérard ex industria Laurentii laborem deformandum suscepit.

Quis enim aliter loqui possit, inspectis epilogis narrationi cuique adjectis, in quibus absurde demonstratur quantam utilitatem habeat novella ut viam sapientiae et christianae perfectionis legentibus ostendat? In fabellis ipsis, quibus maxime apparet jocosus et petulans Boccacii animus — de Judaeo Abraham, de « Ser Ciappelletto » aut de fratre Caepulla — praeclara praecepta inveniuntur, vel potius finguntur[2]. Narrationes in quibus clericorum mores turpiter describuntur, occasionem aperiunt ad invadendum

[1] Novellas X, 7, et II, 4, verbi gratia, de quibus vide supra p. 93, adnot. 1. Doctus vir P. Paris (*Mss. fr.*, II, p. 253) arbitratus est Antonium Vérard codice fr. 240 usum esse ad editionem conficiendam ; sed novellarum nunc commemoratarum collatio isti conjectioni obstat : id solum constat, Antonium Vérard codice quodam usum esse in quo, velut in fr. 240, pro novella Boccacii VIII, 10, alia jam subjecta erat ; vide supra, p. 92.

[2] Haec nos docet novella de « Ser Ciappelletto » (I, 1) : « C'est belle chose de avoir bon et seur intercesseur envers Dieu quant on lui veult faire aucune priere,... si devons adorer et prier les saincts et sainctes solennizés et approuvez qui ont esté de bonne vie et de bonne fin, et non pas comme Capellet, qui fut mauvais en son vivant et pis en sa fin. » — De fratre Caepulla (II, 10) sic ratiocinatur editor : diffidendum est scilicet clericis, « des gens d'eglise qui maintenant ont accoustumé de porter reliques parmy le monde, car il s'y fait plusieurs abusions » ; et in sacerdotes monachosque invehitur, quos vocat « caphars, hutineurs, porteurs de botines et de rogatons ; nul ne doit s'y fier. »

in sacerdotes et monachos improbos [1]. Medii Aevi opiniones et asceticam doctrinam fervide defendebat, etiam quod ad mulieres attinet [2], qui eo modo Boccacii opus interpretatus est, librum scilicet maxime Medii Aevi opinionibus alienum!

Praeterea dimidium fere libri sublatum est: prooemium Boccacii, pestis descriptio, quartae decadis initium (in quo acriter scriptor contra invidos detrectatores pro sese dicit), sex carmina, multa alia omissa sunt; sed ne in quinque carminibus quidem quae supersunt unum verbum reperires quod a carminibus Boccacii aut a Laurentii metrica translatione sumptum sit.

Fabulae ipsae coartatae, mutilatae, emendatae sunt, nunquam tamen quo fidelius opus, relicta translatione, redderetur [3]. Tres tantum narrationes novae

[1] Periculosum est cum clericis consuetudines facere (*se acointer en sa maison*), quibus « le diable enseighe des manieres subtilles de pechier et couvrir leur deshonneur »; « ils ont des temptacions de l'ennemy aucunes foiz plus que ceulx du monde. » (Vide *Decam.* Vérard, IX, 10; III, 10; III, 1, etc...)

[2] « C'est un tres grant dangier que de soy abuser de la beaulté d'une femme, car tout mal en sourt. » (II, 7.)

[3] Ut exemplo utamur, videre juvat quid de Simonae fabula, supra integra prolata, factum sit: puella non *Simonne*, verum *Laurence* nomen habet; pro *Lagina*, Strambae conjugem *Aticule* (sa femme Aticule) invenimus, et omnes simul iter suscipiunt: *un voyage a Saint Coup* (Laur.: *Saint Coq*). Narratio misere coartatur ita ut Pasquini mors, Strambae indignatio, inquisitio judicis et Simonae mors minus quam viginti scripturae versibus contineantur; longa Boccacii exclamatio: *O felici anime* (Laur.: « O bieneurees ames... ») sic redditur: « Or fut ce une grande pitié de la mort de deux loyaulx amans, et belle chose en tant qu'ils moururent d'une mesme mort et peurent leurs ames soy faire compaignie en l'autre monde comme les corps avoient fait en cestuy. » Quod

subjectae sunt eis quas composuerat revera scriptor, Laurentius autem fideliter transtulerat: nec de Griselidis constantia (X, 10) nec de Boccacii novella VIII, 10 amplius loqui necesse est, namque in multis codicibus jam iis fabulis alias successisse scimus; tertia autem fabula (VIII, 6), in editione multum alii novellae Boccacii similis (VIII, 2) quamvis ex ea prompta esse non videatur, utrum jam in codice nunc amisso, an in ipsa editione pro genuina novella reposita sit dijudicare non possumus.

Saepe tamen deformis ista translatio typis mandata est usque ad annum 1541 [1], ita ut, cum integra Laurentii translatio a paucis tantum legeretur [2], eadem deformata et lacerata in manibus multorum fuerit. Anno tandem 1545, alius interpres cui jure magnae laudes tribui solent, Antonius Le Maçon, eximie Boccacii opus in gallicam linguam convertit, statimque

sequitur quattuor et viginti brevibus versibus coartatur, et postea sic de novella disseritur: « En ceste presente nouvelle est monstré le cas de mal fortune, etc.... ; et oultre y est monstree la prudence dudit baillif qui sans bonne inquisition ne voulut pas faire jugement, etc..; et par dessus y est monstré la bonté de Nostre Seigneur qui ne voulut pas permettre que Laurence, qui estoit innocente de ce, mourust de mort villaine comme homicide, etc.... »

[1] Bibliographi octo istius translationis editiones numerant (vide Bacchi della Lega, *Bibliografia boccaccesca*); quae omnes, ut mihi constat, e prima Antonii Vérard editione manant.

[2] Codicem fr. 129 duci Biturigum oblatum esse verisimile est, quanquam nulla ejus mentio reperitur in inventario librorum hujus principis (L. Delisle, *Cab. des Mss.*, I, p. 166); cod. fr. 1122 Joannis Aurelianensis fuit (vide supra, p. 92, n 3) et cod. 12421 datus est a comite Warwickensi ejus consobrino Humphrey duci Glocesterensi (H. Omont, *Catal. des Mss. français)*. Cod. Arsen. 5070 ducum Burgundiae fuit (*Catal. des Mss. de l'Arsenal*, V, 37).

translatio, quam sub Laurentii de Primofato nomine typographi divulgaverant, oblivione obruta est.

Neminem igitur praeter Laurentium nostrum se, ante Antonium Le Maçon, gallice transferendis *Centum Novellis* accinxisse arbitramur, etsi vir quidam doctissimus rem aliter sese habuisse confirmavit[1]: qui cum in duabus novellarum eclogis, in Gallia, ineunte seculo XVI, compilatis[2], septuaginta fabulas invenisset quae a Boccacii libro manifesto sumptae erant, sed nec Laurentii neque Antonii Le Maçon translationem referunt, eo fere modo argumentatus est : cum harum fabularum compilatores, homines scilicet rudes et inculti, per se ipsos Boccacii opus evolvere non valerent, alia quadam sed eadem translatione ambo usi sunt[3], fideli, eleganti, cujus in stilo sapor italicus inerat[4], nunc ignota sed non tota amissa,

[1] « Se peut-il qu'au XVIe siècle, à cette époque où la littérature italienne était tenue en si grand honneur, deux auteurs seulement aient essayé de faire passer dans notre langue le chef-d'œuvre de Boccace ? On n'aurait aucune preuve du contraire que la chose serait déjà peu croyable en soi ; mais il est facile de démontrer que plus d'une tentative de ce genre fut faite alors... » (E. Mabille, in prooemio libri cui titulus *Parangon des nouvelles honnestes et délectables* ; vide adnot. seq.)

[2] Nicolas de Troyes, *le grand Parangon des Nouvelles Nouvelles* (1536), in codice fr. 1510, unde E. Mabille prompsit et bis edidit (1866 et 1869) eas novellas quae in aliis novellarum collectaneis non inveniebantur ; quinque et quinquaginta inter fabulas a Nicolao transcriptas e *Centum Novellis* excerptae sunt. Anno autem 1531, typis mandatus est, Lugduni, liber cui titulus *le Parangon des nouvelles honnestes et delectables*, quem E. Mabille iterum edendum curavit anno 1865 ; hic quoque quindecim novellae ab eodem opere originem ducunt.

[3] Eadem enim novella in duobus collectaneis invenitur (*Decam.*, IX, 8), sine ulla varia lectione.

[4] « Elles (*sc.* novellae) ont été empruntées à un traducteur in-

quandoquidem, horum compilatorum gratia, septuaginta fere novellae supersunt.

Nihil facetius quam illa fidelitas et elegantia et praesertim ille sapor italicus translationis, post tot secula recuperatae, excogitari poterat! Qui hanc opinionem expressit *Centum Novellas* a Laurentio translatas in codicibus tantum inspexerat: si editionem quoque ab Antonio Vérard curatam cum ignota, inedita, et ab eo laudata translatione contulisset, unam eamdemque esse intellexisset, et operae pepercisset ut anonymi translatoris laudes praedicaret[1]!

connu jusqu'ici, sur lequel nos recherches nous permettent de donner quelques détails, quoique nous n'ayons pu découvrir son nom... Son œuvre est toujours restée manuscrite... Le style de notre traducteur a conservé plus d'une tournure italienne...; plus d'une fois il a rendu en vers les dialogues des personnages; mais il faut avouer que ses vers ne valent pas sa prose.... Pourquoi cette traduction française du Décaméron n'a-t-elle jamais été imprimée? Il est difficile de l'expliquer; elle ne manque cependant pas d'élégance; elle a une supériorité marquée sur celle de Laurent de Premierfait, et pourrait lutter avantageusement avec celle d'A. Le Maçon. » (E. Mabille, in prooemio libri Nicolai Trecensis, *Le grand parangon...*, 1866, pp. XVIII-XIX.) Cujus judicii singula verba diligenter etiam atque etiam regustanda sunt! Nescio autem an ipse scriptor laudes illas translationis a se detectae nimias postea existimaverit; modestius saltem eas in altera ejusdem libri editione (1869) iteravit.

[1] Diligenter collatis novellis, quae in duabus eclogis supra memoratis leguntur, cum editionibus *Centum Novellarum* gallice translatarum, multa et valida argumenta collegimus ex quibus constat Nicolaum Trecensem et alterum compilatorem sedulo ex editione fabulas transcripsisse; novella 119 Nicolai tamen minus fideliter fabulam Boccacii VIII, 7 refert; et novellam 8, quae cum Boccacii novella VII, 7, similitudinem quamdam, non tamen adeo insignem, praebet, quod ad argumentum attinet, ex alio fonte a Nicolao sumptam crediderimus, cum ille transcripsisse tantum, nunquam finxisse fabulas videatur. Ceterum Nicolaus novellam VIII, 6 editionis (id est novellam fallaciter Boccacio adscriptam) rettulit, nec

Primus ergo Antonius Le Maçon Joannis Boccacii *Centum Novellas* ab italica in gallicam linguam convertit[1]. Ne vero optima illius translatione utamur quo facilius Laurentii vitia ostendamus, aequum videtur prioris translatoris merita recte judicare, errantique veniam dare, qui triginta et centum annis ante Antonium Le Maçon, imparatus arduum opus aggressus, pro virili parte strenue operam dederat ut Boccacii librum Gallis legere liceret.

semper commentationes morales novellis ab editore adjectas omisit ; praeterea nominibus inspectis, omnis dubitatio tollitur.

[1] De *Centum Novellis* integre translatis hic tantum loquimur ; nam a quibusdam hanc aut illam novellam separatim translatam esse non infitiamur ; immo unam saltem novellam eo modo ante Antonium Le Maçon Gallis propositam esse, confirmare possumus. Novellam enim Boccacii V, 8 invenimus in libro qui inscribitur « *Comptes amoureux par Madame Jeanne Flore,* touchant la punition que faict Venus de ceulx qui contemnent et mesprisent le vray amour » (plures editiones exstant, Lutetiae et Lugduni impressae, annis 1543 et seqq., fortasse etiam prius ; nuper iterum typis mandatus est ille libellus, Augustae Taurinorum, 1870) ; fabellae translatio nec Laurentii, nec Antonii Vérard, nec Antonii Le Maçon lectionem refert, et secundum italicum librum confecta esse pluribus indiciis apparet (nomina *Nastagio*, *Paulo* formam italicam servaverunt, et alia quaedam « italicismi » inveniuntur : *l'infelice*, *chose horrible et stupende)*; ceterum pluribus locis translator narrationem libere interpretatus est et auxit. — Alium autem libellum ab E. Mabille commemoratum (*La fleur de toutes nouvelles composees par Jehan Boccace*... nouvellement traduit de l'italien en françois, Paris, 1547, in-16) avide sed frustra consectati sumus, ita ut utrum translationem Antonii Le Maçon (jam tunc editam) repetierit annon, dijudicare non possimus.

CAPUT IV

NUM JOANNIS BOCCACII LIBER « DE CLARIS MULIERIBUS » A LAURENTIO DE PRIMOFATO IN GALLICAM LINGUAM CONVERSUS SIT.

Veterem quamdam libri *De Claris Mulieribus* gallicam translationem plures codices servarunt, quam doctissimi quidam viri Laurentio de Primofato adscribendam censuerunt[1]. Cum tamen Laurentii vitam, aut potius operum ejus seriem exponendam suscepimus, nihil de hac translatione diximus; cujus omissionis nunc ratio reddenda est.

Liber *De Claris Mulieribus* gallice translatus decem fere codicibus continetur[2], quorum duo indicationem anni MCDI in subscriptione habent :

[1] P. Paris, *Les Manuscrits françois,* I, p. 250; H. Omont, *Catal. général des Mss. français de la Bibl. Nat.*, II, p. 250 (in descriptione codicis fr. 12420).

[2] Bib. Nat., codd. fr. 133, 598, 599, 1120, 5037 (fol. 223-305) et 12420; codex unus servatur Bruxellis, in Bibl. Reg. cod. 9509, alius Vindobonae, Palat. 2555; duo denique Londinii, Brit. Mus. 16 G. V. et 20 C. V.

Icy fine de Jehan Bocace le livre des femmes renommees, translaté de latin en françois, en l'an de grace mil CCCC et un, acompli le xii[e] jour de Septembre, soubz le temps de tres noble et tres puissant et redoubté prince Charles VI[e], Roy de France et duc de Normendie[1]...

Facile conjici poterat Laurentium, postquam priorem librorum *De Casibus* translationem perfecisset, huic novo labori sese accinxisse, quo non minus eum aequalesque oblectatos esse scimus[2], cum in eo Boccacius, sicut in longiore tractatu, historiae simul et doctrinae moralis severus praeceptor appareat.

Sed adversus conjecturam illam valida argumenta, ut nobis videtur, allegari possunt, quae paucis verbis hic referemus. Laurentius scilicet nunquam nomen suum omisit in transcriptionibus operum quae nos, in hac dissertatione, detinuerunt; immo nomina eorum quibus dicata erant, aut apud quos ipse « hospes et familiaris » vixerat, gratus semper enunciavit, non solum in ultimis annis vitae, sed jam anno MCD, cum priorem librorum *De Casibus* translationem absolveret. Praetera, cum in prooemiis suis libros ejusdem scriptoris jam a se in gallicum sermonem conver-

[1] Cod. fr. 12420, f. 167 verso, et cod. Brux. f. 164; hujus codicis descriptionem nobis doctus vir Bacha benevolentissime suppeditavit.

[2] Laurentium saepius hoc libro usum esse diximus, p. 51. Quod vero ad illustres codicum nostrorum possessores attinet, haec non omittenda censemus: cod. fr. 133 Ludovici Brugensis fuit, 598 Joannis Biturigum ducis, 599 Ludovicae de Sapaudia, 1120 Joannis Aurelianensis (Dupont-Ferrier, *loc. cit.*, p. 69), 12420 ducum Burgundiae.

sos semper commemorare soleret, parum credibile videtur eum, si librum quoque *De Claris Mulieribus* transtulisset, omni laboris istius mentione abstinuisse[1].

Verumtamen haec argumenta ab externa translationis consideratione, ut ita loquamur, prompta sunt, non ab ipso opere, quod nunc accuratius inspicere juvabit.

Diligenter collatis codicibus quos in promptu habuimus, tres ejusdem translationis formas exstare cognovimus, quas litteris A, B et C indicabimus:

A (B. N. fr. 598 et 12420; Brux. 9509) primam translationis formam, anno MCDI absolutam, praebet;

B (B. N. fr. 133, 599 et 1120) nihil aliud est nisi lectio A erroribus multis, mendis et omissionibus depravata;

C (B. N. fr. 5037; Vindob. 2555[2]; Antonii Vérard editio, 1493), translationem A repetit, sed emendatam et omnino, praesertim in ultima operis parte, renovatam, diligenter inspecta latina Boccacii scriptura.

De lectione B nihil dicendum est; in ea alicujus amanuensis imprudentia tantum ostenditur. Lectionem C autem Laurentio minime adscribendam censemus, nam non eo modo illum priori librorum *De Casibus* translationi emendandae accinctum esse vidi-

[1] A. Hortis, *Studi*, p. 612, adnot.

[2] Illius codicis pauca verba protulit A. Hortis, p.613, adnot., quae satis clare eum hic numerandum esse demonstrant. Codicum londiniensium nullam collationem habuimus.

mus : qui lectionem A ita retractandam curavit, ea tantum mente ut Boccacii sententias fidelius redderet, is non solum scriptoris opus ipsum latinum ante oculos habuit, sed nec commentatus est, nec crebris excursibus dilatavit. Hoc igitur solum superest quod exquiramus, utrum lectio A Laurentio adscribi possit annon.

Quamvis multa jam severitate de priore librorum *De Casibus* translatione locuti simus, acerbius etiam laborem illius qui librum *De Claris Mulieribus* in gallicam linguam convertit judicandum esse censemus. Ille enim nec latinam linguam recte intelligebat, nec gallico sermone luculente scribebat. Quod si Laurentius sic Boccacii opus reddidisset, fatendum esset eum nihil profecisse — ut modeste loquamur — ex quo longiorem ejusdem scriptoris librum transtulisset. Ceterum stilo quo usus est interpres libri *De Claris Mulieribus* non nihil inest saporis antiquioris, adeo ut plures eorum qui codices hujus operis descripserunt, exeunte seculo XIV confectam esse translationem opinati sint[1]. Cui quidem judicio vehementer obstare non ignoramus subscriptionem paullo ante prolatam, ni forte anno MCDI transcriptionem, non translationem ipsam, ad finem perductam esse intelligamus[2].

[1] P. Paris. *Mss. franç*, V, p. 121 ; *Cat. codd. Mus. Brit.* (1734), pp. 290 (de cod. 16, G, V) et 304 (de codice 20, C, V).

[2] Ita tunc legendum esset : « translaté de latin en françois. En l'an de grace MCDI, acompli le XIIe jour de Septembre... » Ad hanc opinionem non mediocriter nos impellit elegantissimus cod. fr. 598, quem Biturigum duci, mense februario, anno MCDIII (id est 1404) obtulit Joannes de la Barre (P. Paris, *op. cit.*, V, 121),

Sed ne in lubricam disquisitionem ingrediamur, hoc saltem suspicari licet, ignotum scilicet translatorem libri *De Claris Mulieribus* Laurentio praecucurrisse aetate.

Dubiis illis argumentis omissis, aliunde quaestionem aggrediamur. Laurentium enim libro *De Claris Mulieribus* usum esse novimus, cum alteram suam translationem librorum *De Casibus* reficeret et augeret[1]. Qui, cum translationem illam retractaret, ad opem latini exemplaris nunquam confugere solebat, idem aliter se gessisset in excursibus a libro *De Claris Mulieribus* sumptis, si gallice jam hunc librum ipse transtulisset? Diligenter ergo collatis locis quos Laurentius a libro *De Claris Mulieribus* prompsit, plane dissimiles esse duas translationes, Laurentii et anonymi scriptoris, compertum habemus. Quod nobis satis demonstrare videtur librum *De Claris Mulieribus* non a Laurentio translatum esse, immo ne cognitam quidem ei fuisse illam translationem.

Alius igitur scriptor, cujus nomen periit, eodem fere tempore quo Laurentius noster, Boccacii opus cui titulus *De Claris Mulieribus* apud Gallos divulgandum curavit, quod non mediocri favore acceptum

adeo similis codici fr. 12420, quod ad scripturam, picturas et lectionem spectat, ut fratres gemini videantur; qui codex nullam tamen habet temporis indicationem, unde effici potest in exemplari bis ab eodem amanuensi descripto (nam unum codicem ab altero emanare non posse constat) annum esse omissum. In cod. Brux. tamen, qui eamdem lectionem fidelissime refert, annus indicatur, nec confirmare audemus eum a cod. nostro 12420 emanare.

[1] Vide supra, p. 51.

est[1]; non tamen Laurentii famae nocuit obscurus translator, et priusquam Laurentio adscriberetur illius labor, tituli ipsi operum vix discernebantur[2], ita ut, seculo XV, vulgo Laurentius primi et unici Boccacii operum translatoris nomen, sine ulla controversia, obtinuit.

[1] De codicibus, vide supra, p. 102, adnot. 2. Duas autem translationis editiones novimus : unam scilicet ab Antonio Vérard curatam, 1493, alteram a Joanne André, 1538. In utraque editione, translatio « nova » dicitur ! Seculo XVI alteram ejusdem operis translationem edidit lugdunensis typographus G. Rovillius, sed non e latina lingua, verum ex italica translatione, a Luca Antonio Ridolfi confecta, translatam, anno 1551.

[2] Libris enim *De Casibus,* gallice, titulus erat : *Des Cas des Nobles hommes et femmes.* Ceterum Antonius Vérard in editione libri *de Cl. Mul.* haec verba scripsit — aut scribi jussit — quae libris *de Casibus* optime conveniunt, minime autem libro *De Cl. Mul.* : « La fin et intention dudit auteur est monstrer l'instabilité et variacion de fortune, laquelle souventesfois, apres plusieurs grandes prosperités, renverse l'estat des humains et parfond de miserable infelicité, et du contraire, apres plusieurs adversités, elle restitue les mortels vivans en plus grande prosperité que devant. » Sic loquitur A. Vérard, in epistula ad « Madame Anne roine de France » missa, qua translationem, ut suam, dicabat ; addit enim : « Je, qui suis vostre tres humble et obeissant sujet,... ay a curieulx plaisir, pour vous donner quelque recreation et passetemps entre vos sollicitudes temporelles, translaté de latin en françois le livre du tres excellent poethe Jehan Bocasse, par lui fait des vertus et louanges, *fortunes et infelicitez* des nobles et cleres dames. »

CONCLUSIO

Quid Laurentius de Primofato fecerit ut Boccacii famam apud Gallos aetatis suae divulgaret, florentinique scriptoris opera quam facillime intelligenda praestaret, exquirere conati sumus. Libri novem *De Casibus virorum illustrium*, in gallicam linguam conversi, vix credibili favore, ut hodie nobis videtur, accepti sunt, nec tantum ab eis qui eodem tempore, sed etiam post centum annos et ultra vixerunt. Quod ut fieret, Laurentius multis annis assiduo labore consumptis, eumdem tractatum bis transferendum, explanandum augendumque suscepit. Priorem vero translationem ab altera attente discernere et utriusque laudes et vitia rectius judicare tentavimus.

Ceterum aliud Boccacii opus, latine scriptum, a Laurentio in gallicum sermonem conversum esse non constat.

Minus grata fuisse legentibus videtur translatio praeclari libri cui titulus *Decameron*, ab eodem imprudenter suscepta. Qua ratione translator, italicae linguae prorsus ignarus, omnia quae obstarent removere tamen speraverit (periculosae plenum opus

aleae !), auxiliumque petierit a monacho quodam Aretino, viro mediocri ingenio praedito et politioris humanitatis experti, multis ab annis divulgatum est. Sed quem habuisset exitum consortium illud novi generis, quantique facienda esset translatio tam insolito ritu confecta male plerique aestimaverunt, qui editionibus tantum usi, non iis codicibus qui soli genuinam lectionem operis servarunt, de Laurentii translatione aequum judicium facere non poterant. Nos vero quae fides adhibenda esset codicibus et editionibus ostendere conati sumus, et primo *Centum Novellarum* translatori infamiam detrahere, ut aequum est, velimus ; qui etsi imperfectum opus, crebris mendis et maximis erroribus deformatum ediderit, ab indiligentiae tamen culpa vacuus videtur. Quid novi, quid faceti, quid audacis inesset libro Boccacii Laurentius non is erat qui intelligeret et probaret. Nihilominus *Centum Novellas* quam maxima potuit fidelitate interpretari non recusavit. Ille autem per se ipsum efficere non valuit ut aequalibus suis majorem delectationem afferret, cum inter sensus, judicia, mysticamque fidem hominum illius aetatis, praesertim in Gallia, et Boccacii procacem risum terrenarumque rerum amorem, nimia esset diversitas.

Seculo XV igitur, facetus narrator florentinus apud majores nostros famam docti et severi praeceptoris obtinuit, qui ex indefesso veterum et recentiorum annalium studio utilia vitae documenta exprompsisset. Quantum vero illam Boccacii famam Laurentius divulgaverit satis nos ostendisse credimus ; quam

prorsus falsam non dixerimus, nam veram quamdam speciem scriptoris exprimit, cum scilicet senex jam factus Boccacius totum se antiquitatis studio dederet, et simul laboraret ut aeterna felicitate dignus evaderet. Quis contra fuerit, qua mente, quo ingenio praeditus, cum juvenis et laetus jucunda poemata et nunc facetas nunc ardenti affectu plenas fabulas conscriberet, cum artem simul atque opiniones Medii Aevi respueret et tempora nova praenunciaret, XVI tantum seculo Galli intellexerunt : tunc lingua et litteris italicis eruditi, atque ipsi artibus dediti jam sollerti veterum studio renovatis, Boccacium inter maximos illos scriptores reposuerunt quorum opera diligenter et inspicere et imitari juvaret.

Vidi ac perlegi
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona
die XXVIII mensis Octobris MCMII.
Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis Rector,
L. LIARD.

ERRATA

P. 13, l. 1, adnot. : pro *à* lege *a*.

25, l. 7-8 : pro *poetica facultate* lege *poeticae facultatis*.

44, l. 6 : deleatur *scilicet*.

55, l. 4 : pro *italica* lege *italico*.

63, l. 3 : pro *utar* lege *utemur*.

80, l. 9 : pro *enqnerir* lege *enquerir*.

80, l. 9, adnot. 6 : pro *enflé* », *et illec... Simonne* lege *enflé, et illec... Simonne* ».

96, l. 3-4 : pro *multis* lege *pluribus*.

106, l. 6 : pro *obtinuit* lege *obtinuerit*.

106, l. 6, adnot. 2, l. 4 : pro *libris De Casibus..... libro De Claris Mul.* lege *ad libros De Casibus..... ad librum De Cl. M.*

107, l. 9 : pro *Laurentius multis* lege *Laurentius, multis*

INDEX CAPITUM

Gratianopoli, ex typis ALLIER FRÈRES.